This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lm
32
20

Gm 22. 20



BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).

3 Oct., 1884.

DE

M. VALERIO MESSALA CORVINO

DE

M. VALERIO MESSALA CORVINO

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

Léon FONTAINE,
Scholæ Normalis olim alumnus

VERSALIIS
EX TYPIS CERF ET FILII,
VIA DICTA DUPLESSIS, N° 59
1878

Lm 32.20

OCT 3 1884
Library Fund.

PROŒMIUM

Non pauci erant apud Romanos viri, qui amplissimis honoribus perfuncti, rebus domi forisque gestis illustres, quum summum gloriæ vel auctoritatis gradum attigissent, pæne omissa rerum publicarum cura, tanquam in portum confugerent [1], non inertiæ neque desidiæ, sed otii moderati atque honesti. Ibi semper dilecta, sæpius intermissa studia litterarum repetebant; conjuncta cum egregiis scriptoribus aut poetis amicitia, nascentibus eorum operibus intererant, tirones consiliis, auctoritate, interdum pecunia juvabant. Sæpe etiam eveniebat ut locum ipsi inter scriptores non mediocrem obtinerent. Aliis tantus inerat amor litterarum, ut nunquam eas, vel reipublicæ gerendæ curis districti, colere desierint.

[1] Cic., *Brutus*, cap. 2.

Quum eorum virorum memoriam repetimus, primum inter veteres occurrunt, seu Scipionis et Lælii nomina, qui cum Terentio familiares, ejus etiam laboris fuisse participes aliquando traditi sunt, seu Mæcenatis, qui tantum de Horatio meruit, seu Asinii Pollionis, cujus consulatum Virgilius restituti patrimonii memor cecinit. Sed inter eos, qui et studia et studiosos dilexerunt, præcipua Pollionis et Mæcenatis fama. Hic haud scio an Virgilii et Horatii magis quam vel ipsius Augusti amicitia apud posteros commendetur : ille valde litteris indulsit, scripsit multa præclare, eloquentia inter paucos Ciceroni proximus accessit, et primus Romæ, non modo bibliothecam aperuit, sed recitationibus initium dedit, e quibus quanta litteris Latinis pernicies esset evasura nemo tum erat qui prævideret.

Eodem tempore Messala florebat, qui etiam nobiliore loco natus, nec rebus gestis nec eloquentia minor, et clarorum poetarum amicitia pariter insignis, ipse scriptor et poeta, simili apud æquales laude fruebatur, quamvis non tantum apud posteros famæ sit adeptus.

Nemo de Tibullo scripsit, aut ejus carmina commentario vel notis explanavit, quin pauca simul de Messala memoraret. Eo fit ut, quum

illius viri vitam enarrandam suscipimus, non inviam regionem investigare, sed sæpius tritum iter sequi videamur. Eorum autem, qui sic de Messala locuti sunt, plerique non singula ordine perscripserunt, nec omnem ejus vitæ cursum sunt amplexi; sed, quum ea tantummodo attingerent, quæ proprie ad Tibullum pertinere arbitrabantur, reliqua fere neglexerunt. Varia et interdum discrepantia testimonia metiri, ponderare, alia aliis refutare aut mutare, denique ad certam quamdam rationem redigere non vacabat. Itaque fieri non potuit, quin sæpius erraverint. Uno verbo, materia potius ab illis comparata est, quæ aliis in futurum prodesset, quam vere hoc nomine dignum opus effectum.

Alii Messalæ vitam fusius composuerunt. Inter quos primus, ut videtur, D. G. Mollerus (*Disputatio de M. Valerio Messala Corvino*, Altorf, 1689); proximo seculo Burignius (*Mémoires de l'Académie des Inscriptions*. XXXIV); tum apud recentiores C. Van Hall (Amstelodami, 1820), et L. Wiesius (*de M. Val. Messalæ Corvini vita et studiis doctrinæ*, Berolini, 1829). Sed doctissimi viri non ita rem exsecuti sunt (aut ego fallor) ut æmulo post illos non superesset locus. Burignius in eleganti sed brevi

libello multa veterum scriptorum testimonia, quæ ad rem maxime pertinebant, aut omisit aut ignoravit. Eruditior Wiesius, sed in quo judicium aut sagacitatem sæpius desideres ; de cæteris taceo, quorum opera frustra quærenti mihi in manus non venerunt. Sed hoc me præcipue ad tractandam ex integro materiam impulit : pleræque Tibulli elegiæ quibus certis annis scriptæ fuissent, diu fuit in dubio ; inde falsæ aut inanes de ipso Messala conjecturæ. Recentibus autem studiis controversia prope ad finem perducta est. Quid inter quatuor elegiarum libros Tibulli nomini addicamus, quid in dubium vocemus, quo tempore pleraque ejus opera in lucem prodierint, nunc minus ambigitur. Sublata igitur errorum causa, quædam explanari posse non diffido, in quibus disputandis docti viri olim sudaverant.

DE

M. VALERIO MESSALA CORVINO

CAPUT I

Messalæ genus, adolescentia, studia Athenis; proscriptus in castra Bruti Cassiique confugit, apud Philippos pugnat.

Splendidior natalibus nemo tum fere fuit apud Romanos. Messalarum enim domus, quanquam non ab Olympo, ut Julii, ducebat originem, tamen satis certis historiæ monumentis ad ipsum urbis initium nobilitatem suam referebat. Genus a Valerio Voleso conditum, qui Sabinorum inter primores habitus, præcipuus auctor fuerat, si quid Plutarcho [1] credimus, miscendi cum Romanis populi hactenus inimici, et Romæ cum Tatio rege remanserat [2]. Post

[1] Plutarch., *Poplic.* I. De Publicola dicit : Οὐαλερίου δοκῶν ἀπόγονος εἶναι τῶν παλαιῶν ἀνδρὸς αἰτιωτάτου γενομένου Ῥωμαίους καὶ Σαβίνους ἐκ πολεμίων ἕνα γενέσθαι δῆμον.

[2] Dionys. Halic., *Antiq. Rom.*, II, 46.

quem longo quidem intervallo P. Valerius fuit, egregius ille cum Bruto Romanæ libertatis conditor, in Tarquinii Collatini locum primo anno consul suffectus, et summo illo honore intra paucos annos quater ornatus. Ille vir, Poplicolæ cognomine appellatus[1], adeo pauper mortuus est, ut ejus funeri sumptus defuerit, et collatis a populo nummis facta sit sepultura[2]; cæterum adeo virtute et meritis eximius, ut eum matronæ, sicut Brutum, annum luxerint. Sic a T. Livio laudatur: « P. Valerius, omnium consensu princeps belli pacisque artibus ». Eumdem Plutarchus dignum judicavit qui cum Solone propter legum sapientiam æquaretur.

Auxit etiam hujus gentis gloriam M. Valerius. Is adolescens, Manlii Torquati instar, obtruncato Gallorum duce qui fortissimum Romani exercitus militem in prælium depoposcerat, Corvus ipse dictus, Corvini cognomen, idem victoriæ singularis et auxilii divinitus missi monumentum posteris suis reliquit[3]. Qui postea, quum vix tertium ac vicesimum ætatis annum ageret, summo populi consensu consul

[1] Tit. Livius, II, 8; Sil. Italic., II, 8; Poplicola, ingentis Volesi Spartana (Sabina) propago.
[2] Eutrop., « De publico », ait T. Livius, II, 16.
[3] T. Liv., VII, 26. A. Gell.. IX, 11. Eutrop., II, 3.

creatus, et illo honore sexies affectus, quod ante C. Marium contigerat nemini [1], rem adversus Samnites feliciter gessit. Itaque peritissimus ea tempestate Romanorum imperator habebatur, et Tito Livio [2] dignus præ omnibus visus est, qui Alexandri Magni infregisset fortunam, si ille Asiæ domitor, trajecto in Italiam exercitu, cum Romanis experimentum virium fecisset.

Aliud nec minus illustre cognomen genti suæ alius M. Valerius addidit, qui quum primus, ineunte bello Punico, Messanam vicisset, urbis captæ in se translato nomine Messana appellatus est, paulatimque, vulgo permutante litteras, Messala dictus [3]. Is tabulam picturæ

[1] Plutarch., *Marius*, 23.

[2] T. Livius, IX, 17.

[3] Seneca, *de Brev. vitæ*, 13. — Macrob. (*Saturn.*, I, 9) idem testatur : « Sic Messala tuus, Aviene, dictus a cognomento Valerii Maximi, qui, postquam Messanam urbem Siciliæ nobilissimam cepit, Messala cognominatus est ». — Scribendi hujus nominis utra ratio potior habenda sit, *Messala*ne an *Messalla*, disceptari potest. Hanc *Messalæ* formam, simplici littera, quæ in codicibus manuscriptis prope sola reperitur, veteres Tibulli editores frequentius secuti sunt. Alteram vero formam, *Messallam*, inscriptiones quædam exhibent ; qui mos in recentioribus libris interdum prævaluit. Nobis quidem non satis justa causa visa est, cur ab antiqua consuetudine deflecteremus. Nam præter quam quod Græci semper Μεσσαλαν unum λ scripserunt ipsæ inscriptiones minime inter se constant. Cippi in ripis Tiberis reperti, quique omnes M. Valerii Messalæ, hujus, de quo in hoc libro agitur, patris, et P. Servilii Isaurici in censura collegæ, nomen ferunt, variam scribendi nominis rationem apud ipsos

prælii, quo Carthaginienses et Hieronem in Sicilia devicerat, princeps in latere Curiæ Hostiliæ proposuit [1] : idem, Catina capta in Sicilia, primum horologium [2] in publico secundum rostra in columna statuit : quæ etsi nunc levia judicamus, non minus forsan ejus nomen, quam ipsæ victoriæ, apud Romanos commendabant.

Ex eodem genere M. Valerius Messala cum C. Fannio Strabone consulatum eo anno gerebat, U. C. 593/161 ante Christum, quo philosophi ac rhetores senatusconsulto expulsi sunt [3].

De M. Valerio Messala Nigro, qui nostri pater habitus est, Cicero mentionem non semel fecit. Ille, cum M. Puppio Pisone Calpurniano consul anno 693/61, sic laudatur [4] : « Messala consul est egregius, fortis, constans, diligens, nostri laudator, amator, imitator » ; quas virtutes col-

Romanos fuisse testantur. *Corp. Inscript.*, I 608-614. In cippis 608, 609, 613, 614, nihil aliud, nisi MESSAL. legitur, quod rem ancipitem relinquit. In cippo 610, MESSALL. sed (612) MESSALA etiam reperitur. In nummis consularibus (id. 470), pars modo prior nominis inscripta est, MESSAL. In tesseris consularibus (*Id.* 725-748) nomen exstat etiam in brevius reductum, MES.

[1] Plin.. *Hist.*, XXXV, 7.
[2] *Id.*, VI, 60.
[3] A. Gell., *Noct. Att.*, XV, II.
[4] *Epist. ad Att.*, I, 14.

legæ Pisonis vitia etiam illustrabant. Ejus ab eodem facundia æstimatur [1] : « M. Messala, minor natu quam nos, nullo modo inops, sed non nimis ornatus genere verborum ; prudens, acutus, minime incautus, patronus in causis cognoscendis componendisque diligens, magni laboris, multæ operæ, multarumque causarum ». Eo consule [2] Pompeius, quum maritimam oram a prædonibus liberasset et imperium maris populo Romano restituisset, ex multis Asiæ populis, et super hæc de regibus Mithridate atque Tigrane trimphavit.

Idem ille Messala Niger anno 699/55 et sequente censuram cum P. Servilio Isaurico gessit, ut cippi testantur in ripis Tiberis reperti. Sex hujus generis lapides [3] utriusque nomen ferunt : omnes in hunc ferme modum inscripti :

M. VALERIUS M. F.
M'. N. MESSAL
P. SERVEILIUS C. F.
ISAURICUS CES (censores)
EX. S. C. TERMIN. (ex senatus consulto terminarunt).

[1] *Brutus*, 70.
[2] Plin., *Hist.*, VII, 27.
[3] *Corp. Inscript.*, I, 608-614.

« Borghesius animadvertit causam terminandæ denuo ripæ publicæ fuisse inundationem maximam quæ anno 700/51 accidit. Præterea Fabrettius [1] jam observavit in terminis ripæ sinistræ Isauricum, in terminis ripæ dextræ Messalam priorem nominari, ut collegæ ita videantur officium inter se divisisse et in suâ uterque ripa se priorem scripsisse ».

De Messala Nigro vehementer Wlesius [2] erravit, qui parum ponderatis testimoniis, hunc absolutum de ambitu, paulo post condenmatum esse narravit. De hac ambitus causa lepide Cœlius ad Ciceronem scribit qui tum, anno 703/51, Ciliciam provinciam regebat. Apparet igitur non hunc, de quo loquimur, decem annis ante consulem, sed ejusdem nominis et generis M. Valerium Messalam, qui cum Cn. Domitio Calvino consul anno 701/53 creatus est, in judicium ob empta pecuniis suffragia eo tempore venisse : qui post consulatus finem adeo non populari gratia pollebat, ut contra defensor ejus ipse Hortensius, quum postridie in theatrum venisset, strepitu, fremitu, clamore tonitrum, etiam sibilo exciperetur, quo, ut ait Cœlius, intactus ad senectutem pervenerat.

[1] Termini riparum Tiberis.
[2] *De M. Val. Messala Corvini vita et studiis doctrina*, p. 7.

Duo igitur vivebant eodem tempore Messalæ, non fratres, neque enim idem fuisset utriusque prænomen, sed propinqui, quos in unum plerique miscuerunt.

In hac triumphali et consulari domo, quæ cum amplissimis æquari jure poterat, et quæ, ut quidam perhibent, quamvis T. Livio contradicente [1], sicut primum post expulsos reges consulem, ita primum forsan dictatorem ediderat, M. Valerius Messala Corvinus natus est, non, ut scribit Eusebius, anno urbis 695/59, neque, ut Wiesius contendit, quindecim prius annis, sed, ut videtur, circa annum 690/64, paucis ante mensibus quam Cicero gloriosum illum et salutarem reipublicæ consulatum iniret [2]. Ejus in epistolis [3] prima de Messala nostro mentio reperitur, qui, ut mos erat patricii generis adolescentium, jam sumpta virili toga, cum ejusdem fere ætatis M. Cicerone, oratoris filio, et Horatio Athenis versabatur, optimis eloquentiæ et philosophiæ studiis deditus.

[1] T. Liv, II, 18... « Nec quis primum dictator sit creatus, satis constat. Apud veterrimos tamen T. Lartium dictatorem primum, Sp. Cassium magistrum equitum, creatos invenio. Consulares legere : ita lex jubebat de dictatore creando lata. Eo magis adducor ut credam Lartium, qui consularis erat, potius quam Valerium, M. filium, Volesi nepotem, qui nondum consul fuerat, moderatorem et magistrum consulibus appositum ».

[2] Vide Append., I.

[3] *Epist. ad Attic.*, XII, 32.

Mox placidum vitæ cursum, amata studia, doctos sub umbraculis Academiæ sermones civilium discordiarum impetus conturbavit. Interfecto Cæsare, dictatorem Brutus et Cassius, non dictaturam sustulerant. Invidia plebis ex urbe compulsi, quum in provincias suas iter facerent, Athenis aliquandiu commorati sunt. Eorum statuas Athenienses juxta Harmodii et Aristogitonis effigies institui jusserunt, dum eos libertatis amantissima juventus et philosophorum præceptis imbuta tanquam patriæ liberatores ac pæne deos salutaret. Jam uterque, sine armorum auxilio mox contemptum iri et abjectum senatus auctoritatem ratus, bello se accingebat, cujus oneri sustinendo non amplius essent totius Orientis vires. Tunc omissi libri, intermissa studia; e philosophorum discipulis plerique centuriones aut tribuni facti sunt.

Totum se Cassio ac Bruto Messala dedit, quos in castra primum secutus est. Mox, quum bellum nondum flagraret, in Italiam paulisper rediit, ut Ciceronis litteræ testantur [1]. Insequenti anno rursus apud Brutum erat, cui et

[1] *Epist. ad Attic.*, XV. 17. « Gratissimum, quod polliceris, Ciceroni nihil defuturum, de quo mirabilia Messala, qui Lanuvio, rediens ab illis (Bruto et Cassio), venit ad me. »

per se jam satis ipse notus atque æstimatus, et honestissima commendatione fretus[1], in primis familiaris fuisse videtur.

Sed istis temporibus, quum probissimus quisque ac patriæ amantissimus civis maximo in periculo versaretur, illum, quem Velleius fulgentissimum juvenem appellavit, notæ cum Cicerone, Cassio ac Bruto amicitiæ, prætermittere non poterat triumvirorum suspicio atque odium. Itaque quum Antonius, hostis publicus a senatu judicatus, una cum Octaviano, quem senatus legionibus præfecerat, ac Lepido fœdam societatem inivisset, et instauratum Sullani exempli malum, proscriptio, in Italia sæviret, non commiserunt triumviri, ut Messalæ nomen in tabulis nefariis deesset. Ille, ut ex Appiani verbis conjici potest, non apud Brutum remanserat, ubi interfectorum minas tutus risisset, sed novo quodam itinere si non Romam, saltem in Italiam erat regressus, unde tamen tot aliis felicior incolumis evasit. Sic enim apud Appianum[2] legimus : Μεσσάλας δὲ, ἐπιφανὴς καὶ νέος, ἐς Βροῦτον ἔφυγε. Et paulo infra : Μεσσάλας δὲ οὗτος ἦν, ὃν οἱ τρεῖς ἐπὶ θανάτῳ προγεγράφεσαν ἐν Ῥώμῃ, καὶ χρήματα τῷ κτείναντι καὶ ἐλευθερίαν ἐπικεκηρυχε-

[1] Vide *Append.*
[2] *De Bell. Civil.*, IV, 38 — V, 113.

σαν· ὁ δὲ πρὸς Κάσσιον καὶ Βροῦτον φυγὼν..... »
Similiter Dio Cassius[1], postquam eorum casum enarravit qui, quum in tuto esse viderentur, tamen occubuerunt, hæc addit : Μάρκος δὲ Οὐαλέριος Μεσσάλας, ὑπὸ τοῦ Ἀντωνίου θανατωθεὶς, οὐχ ὅπως ἐν ἀσφαλείᾳ διεβίω, ἀλλὰ καὶ ὕπατος ἀντ' ἐκείνου αὐτοῦ ὕστερον ἀπεδείχθη. Unde apparet singulari quadam in his rerum angustiis eum felicitate usum.

Cum eo fugerat et Gellius Poplicola frater, virtute et probitate longe minor. Ille adversus Brutum struxit insidias ; in custodia tantummodo habitus, nullo malo affectus est, quia Brutus eum sibi amicissimum semper esse cogitabat, et fratrem ejus Marcum Cassio admodum fidelem esse compererat. Licet hanc ducis clementiam expertus, iterum Gellius adversus Cassium insidias paravit; sed ne tum quidem nequitiæ pœnas dedit, quia mater ejus Palla, quum de consilio inito certior facta esset, verita ne quid Cassio, quem valde diligebat, mali accideret, neve filius in carcerem iterum conjiceretur, ipsa ultro omnia Cassio aperuit, et sic filii salutem impetravit : qui nec tamen inde melior evasit : nam paulo post, relictis iis quo-

[1] Dio Cassius, XLVII, 11.

rum beneficio vivebat, ad Cæsarem et Antonium se contulit [1].

Ex hac Dionis narratione profecto patet, Messalam magna jam tum gratia valuisse, cujus frater post tantum facinus impunitus dimitteretur; et, quamvis esset cum Bruto conjunctissimus, Cassio tamen præcipue fidum ac familiarem fuisse, ut etiam hæc Taciti [2] verba significant : « Messala Corvinus imperatorem suum Cassium prædicabat ».

Hæc in Asia eo prope tempore agebantur, quo Brutus, re adversus Thracas prospere gesta, et Cassius, in Asia præpotens, omnibus transmarinis provinciis exercitibusque in potestatem redactis, ad ordinanda futuri belli consilia Smyrnæ coierunt. Non modo fratris proditionem imitari Messala noluit, sed beneficium triumvirorum aspernatus est, qui cum eo redire in gratiam cupiebant, proposito edicto quod commemoravit Appianus [3] : « Quum ex Messalæ propinquorum testimonio compertum esset, eum ne Romæ quidem illo tempore fuisse, quo Cæsar esset occisus, nomen ejus in tabulis aboleretur ». Quin etiam ut Romam rediret

[1] Dio Cassius, XLVII, 24.
[2] Tacit., *Annal*, IV, 34.
[3] App., *Bell. Civil.*, IV, 38.

invitaverunt, ea spe profecto, ut bellica ejus virtute uterentur. Ille autem in partibus perstitit, quas non propriæ tantum salutis, sed etiam communis utilitatis tuendæ causa erat amplexus, et cum ducibus suis in Europam venit, ubi mox de summa belli esset decertandum.

Quid tum egerit Messala Plutarchus in Bruti vita nos maxime docet[1], commentariis usus, quos ille deinde in otio conscripsit. Pridie quam apud Philippos certaretur, Cassius apud Messalam, qui paucos amicorum insuper invitaverat, cœnavit, præter morem serius ac silens; post cœnæ finem, amici prehensa manu, græca lingua comiter dixit, ut solebat : « Testor te, Messala, idem mihi, quod Pompeio Magno, evenire; nemper cogor una pugna aleam de sorte patriæ jacere. Bono tamen animo simus, fortunam intuentes, cui nos diffidere, etiamsi malum consilium iniverimus, injustum est ». Quibus dictis, quum Cassius eum supremum esset amplexus, in crastinam cœnam, quæ cum ipsius natali die congruebat, Messala ducem invitavit.

Sequenti die, quum mane e castris eductæ

[1] Plutarch., *Brutus*, 40, 41, 42, 45, 53.

copiæ essent, supremo illi inter Brutum et Cassium colloquio, quo consilium de ordinanda pugna ceperunt, interfuit Messala. Quamvis contendente Bruto ut dextrum cornu rei militaris scientior, et natu major, Cassius ducendum susciperet, ille hunc pugnæ locum honestum [1] et in primis difficilem Messalæ assignavit, validissimam legionem ducenti : quo honore indignum se Messala non præstitit.

In copias Cæsaris primus fecit impetum, et præter sinistrum hostium cornu eminens, vix cum postremis ordinibus manu commissa, in castra irruit, ubi magna strages facta est ; duo Lacedæmoniorum millia, qui nuper in auxilium Cæsaris sponte venerant, victor cecidit ; deni-

[1] Sic Plutarchus (c. 40) : Καὶ Βροῦτος ἠτεῖτο Κάσσιον αὐτὸν ἡγεῖσθαι τοῦ δεξιοῦ κέρατος, ὁ δὲ ἐμπειρίαν καὶ ἡλικίαν μᾶλλον ᾤοντο Κασσίῳ προσήκειν. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τοῦτο Κάσσιος ἔδωκε, καὶ τῶν ταγμάτων τὸ μαχ-μώτατον ἔχοντα Μεσσάλαν ἐκέλευσεν ἐπὶ τοῦ δεξιοῦ καταστῆναι. Nec mirum : triumviri nihil habebant antiquius, quam ut maritima ora hostem excluderent : qui, mari pollens, omnes commeatus classe accipiebat. Itaque inter Cassii castra in colle (hodie *Madjiar-Tepe*) prope littus sita, et ipsum littus Antonius audacter tetendit. Lævum Cassii cornu, qui ipse lævum totius exercitus tenebat, primo munitionibus oppositis, deinde ipsa pugnæ die vi et impetu est aggressus Hæc præcipua pugnæ moles erat : hinc totius belli, ut exitus docuit, pendebat fortuna. Quapropter e Bruti victoria non tantos fructus perceperunt, quantum acceperant Cassii clade detrimentum ; et in posteriore prælio hæc eadem Cassii castra Brutus ipse cum robore exercitus ultimum defendere conatus est. (Vid. Heuzey, *Mission archéologique de Macédoine*).

que ipse Cæsar e gravi periculo vix incolumis evasit, tribus legionibus amissis æger ipse et castris exutus multo labore ad Antonium fugit. Lectica etiam ictibus confossa est, in qua si tum vectus fuisset, totius forsan belli fortuna in contrarium mutabatur.

Hujus victoriæ, in qua tres aquilas et multa signa militaria Octaviani milites amiserant, præcipua laus profecto ad Messalam pertinebat. Sed ex altera parte Cassius ab Antonio circumventus et oppressus, suorum fugam nec voce nec exemplo cohibere potuerat. Nocte jam appropinquante, ipse cum paucis recessit; cui quum auxilium laturi Brutiani equites advolarent, hostes adesse ob tenebras et oculorum infirmitatem ratus, præpropera desperatione victus, a Pindaro liberto caput sibi præcidi jussit.

Posterior pugna triginta ferme dierum interposito spatio commissa est : hic nihil de Messala apud scriptores reperimus. De iis autem, quæ postea evenerunt, superest Vellei Paterculi testimonium[1] : « Messala, fulgentissimus juvenis, proximus in illis castris Bruti Cassiique auctoritati, quum essent qui eum

[1] Vell. Paterc., II, 71.

ducem poscerent, servari beneficio Cæsaris maluit quam dubiam spem armorum tentare amplius, nec aut Cæsari quidquam ex victoriis suis fuit lætius quam servasse Corvinum, aut majus exemplum hominis grati ac pii quam Corvinus in Cæsarem fuit ». Videtur Velleius res in laudem principis, ut semper, composuisse : obstat Appiani auctoritas : Βρούτου δὲ καὶ Κασσίου περὶ Θρᾴκην πεσόντων, καὶ τοῦ στρατοῦ πόλλοῦ τε ἔτι ὄντος, καὶ ναῦς καὶ χρήματα καὶ ἐλπίδας ἔχοντος οὐκ ἀσθενεῖς, ἄρχειν σφῶν τὸν Μεσσάλαν αἱρουμένων, ἔπεισεν αὐτοὺς, ἐνδόντας ἐπιβαρύνσῃ τῇ τύχῃ, μεταστρατεύσασθαι τοῖς ἀμφὶ τὸν Ἀντώνιον (IV, 38) et iterum sequenti libro (V, 113) τὸν στόλον ἐπὶ σπονδαῖς Ἀντωνίῳ παραδεδώκει.

Sed in hoc præcipue loco (IV, 136), rem ita plane ac diserte narravit Appianus, ut dubitationi non supersit locus : Ὅσοι δ' ἄλλοι τῶν ἐπιφανῶν ἐς Θάσον διέφυγον, οἱ μὲν αὐτῶν ἐξέπλευσαν· οἱ δ' ἐπέτρεψαν ἑκυτοὺς ἅμα τῷ λοιπῷ στρατῷ τῶν ὁμοτίμων Μεσσάλᾳ τε Κορουίνῳ καὶ Λευκίῳ Βύβλῳ, ὅτι βουλεύσοιντο περὶ σφῶν, ποιεῖν περὶ ἁπάντων. Οἱ δὲ, συνθέμενοι τοῖς περὶ τὸν Ἀντώνιον, Ἀντωνίῳ διαπλεύσαντι ἐς τὴν Θάσον παρέδοσαν ὅσα ἦν ἐν Θάσῳ χρήματά τε καὶ ὅπλα, καὶ τροφαὶ δαψιλεῖς, καὶ ἄλλη παρασκευὴ πολλή.

Præterea e Suetonio, et multis aliis constat,

cruentam Cæsaris fuisse victoriam, qui « capite Bruti Romam misso, ut statuæ Cæsaris subjiceretur, in splendidissimum quemque captivum non sine verborum contumelia sæviit; unde quidam, quum catenati producerentur, imperatore Antonio honorifice salutato, Cæsarem fœdissimo convicio coram prosciderunt[1] ». Testatur item Plutarchus[2] mitiorem in victoria Antonii quam Cæsaris animum fuisse: ad illum quum perductus esset Lucilius quidam vir strenuus, qui, ut Brutus aut incolumis evaderet aut in hostium manus non vivus incideret, in fuga se Brutum esse clamitarat, adeo non in Lucilium detecta fraude Antonius exarsit, ut contra amplexus eum ducentibus dixerit: « Hostem quærentes, amicum adduxistis... talibus viris utinam amicis potius quam adversariis uterer! » Quin imo verisimilius videtur militari viro, notæ virtutis, et in utraque pugna recens victori, quam Cæsari vix adolescentiam egresso, notæ tum perfidiæ, et in rebus prosperis nimis crudeliter exsultanti, reliquias Brutiani exercitus ditionem fecisse.

Cur post Philippensem cladem arma ponere Messala maluerit quam belli rursus tentare

[1] Sueton., *Octav.*, 13.
[2] Plut., *Brutus*, 50.

fortunam, quæri potest. Profecto amorem libertatis non exuit, pro qua tot proscriptionis et belli adiverat pericula, cuique fidus videtur ad extremum stetisse. Sed ut prudens et rerum publicarum sagax erat, nullam spem in armis superesse brevi perspexit. Et revera partes illæ quæ, Bruto et Cassio ducibus, Orientis opibus et viribus fretæ, auxiliorum, regum, classium numero ac robore pollentes, tamen quodam fortunæ lusu bis apud Philippos erant attritæ, post tantam cladem, post voluntariam ducum necem, bello diutius gerendo impares esse videbantur. Quum igitur e profligatis legionibus multi superstites, potius quam triumvirorum aut crudelitatem paterentur aut veniam implorarent, in Siciliam ad S. Pompeium confugerent, ipse istius modi consilium abjecit, magis a desperatione quam a recta ratione profectum. Non is erat enim Pompeii Magni filius, qui provinciam tuendæ libertatis melius, quam amissi duces, susciperet. A senatu maritimæ oræ præfectus, occupata Sicilia servitia fugitivosque in numerum exercitus sui recipiens magnum modum legionum effecerat et mare infestabat piraticis sceleribus[1], ut latrocinium exercere, non justum bellum gerere videretur.

[1] Vell. Paterc., II, 73.

CAPUT II

Post Philippensem cladem Messala primum Antonium, dein Cæsarem sequitur, et in Sicilia adversus S. Pompeium, tum adversus Salassos et Japydes militat. Anno 723-31 consul factus, Actiaco bello interest.

Ut se exercitumque Antonio quam Cæsari dedere maluerat, ita post belli finem Antonium potius quam Cæsarem Messala secutus est[1]. Inter eos adhuc dubitari poterat, uter melior rerum Romanarum præses futurus esset. Illic vir spectatæ virtutis, ætate maturus, bello clarus, recenti clementia proscriptionum scelus, si fieri potest, abluerat: hic dubius adhuc ingenio juvenis, taciturnitate et perfidia consilia tegens, tantæ nuper in victos sævitiæ, ut non invitus olim proscripsisse videretur, ex quo denique aut summa in posterum laus esset speranda, aut summum scelus. Ab Antonio sicut minus exspectares, ita certe minus metueres. Ejus igitur fortunam primum amplexi

[1] Appian., *Bell. civil.*, IV, 38. Οἰκειότερος δὲ ὢν Ἀντωνίῳ συνῆν.

sunt qui, quum utique esset parendum, ducem sequi maluerunt, quam dominum pati.

Sensim vero amborum indoles mutata est. Usu potentiæ melior alter factus est, alter in dies deterior. Cæsar in Italiam regressus est; Perusino profligato bello, in quo miseræ urbis incolæ, fame jam oppressi, potius militum inconsulta rabie quam crudelitate ducis necati sunt, nihil antiquius habere visus fuit, quam ut belli civilis vulnera sanaret, exhaustamque tot cædibus ac direptionibus Italiam pace ac legum auxilio refoveret. Antonius autem omni libidinum genere fœdatus, dum sui esset impotens, qui ceteris imperaret dignus videri desierat; donec effrenato Cleopatræ amore imperii pollueret majestatem, regiasque delicias, regium fastum ac pæne nomen præ se ferens, Romanos omnes sensus exueret. Sic paulatim evenit, ut ab Antonio vel amicissimi abalienarentur. Quem Messala non, ut multi deinceps alii, inter pericula deseruit, sed media pace reliquit; non clam profugit, sed aperte, libere, et tanquam renuntiata societate profectus est. Κρατούσης Ἀντωνίου Κλεοπάτρας ἐπιμεμψάμενος ἐς Καίσαρα μετῆλθεν [1].

[1] Appian., IV, 38.

Quo potissimum tempore sic ad Cæsarem transierit nihil docet, silent enim de hoc ejus vitæ spatio rerum Romanarum scriptores. Sane post Brundusinum fœdus, quod impendentis inter triumviros belli minas in posterum distulit.

Quidquid id est, Messalam paulo post Romæ florentem videmus, et in judiciis assiduum, ut Horatii versus testatur[1],

> Quum Pedius causas exsudet Poplicola, atque Corvinus.

Mox bello in Sicilia adversus S. Pompeium gesto interfuit, quod infaustum primo, et variis hostium ac procellarum mixtum fortunis, tandem pertinacia, virtute, scientia rei militaris ac navalis, non sine ducum Pompeianorum proditione, Agrippa feliciter confecit. Quam honestum in hoc exercitu locum et imperatori proximum tenuerit, ex his præsertim possumus suspicari, quæ Appianus[2] in quinto libro fusius narravit. Menodorus olim Pompeii Magni libertus, et filio ejus hactenus fidus, qui inter præcipuos S. Pompeii duces habebatur, et Ro-

[1] *Sat.*, I, 10, v, 28.

[2] Appian., *Bell. civil.*, V, 102. ....παρὰ Μεσσάλα, τοῦ τὴν ἀποδημίαν Ἀγρίππα διοικοῦντος.

manam classem iteratis cladibus oppresserat, proditionem moliebatur. Absente Agrippa, quem penes erat imperium, nullum in hostili exercitu potiorem Messala judicavit, cui suum consilium aperiret, quasi Messala Agrippæ dignitate proximus accederet, et absentis ejus vicem obtineret. Teste eodem Appiano, ille primum dubitavit, turpem vel in hoste proditionem ratus; mox autem annuit, quasi eas esse belli necessitates crederet, et Cæsaris voluntatem seu antea perspexisset, seu suspicaretur. Sic Pompeianæ partes gravius quam multis cladibus uno die afflictæ sunt; nam præter validam classem, Corsica et Sardinia insulæ, quæ hostibus antea paruerant, Cæsari tradebantur.

Paulo post ad Lepidum, qui cum numeroso exercitu ex Africa in insulam trajecerat, duas legiones ducere Messala [1] jussus est, quæ in sinu Tauromenii vicino stationem agerent; sed antequam in Siciliam trajiceret, aliud facinus edidit, prisca illa ac toties laudata Romanorum virtute non indignum. Cæsar, quum Tauromenii obsidionem paravisset [2], inopinato S. Pompeii adventu deturbatus, et classe exutus,

[1] Appian., V, 103.
[2] Appian., V, 112, 113.

una vectus navicula, et ab omnibus destitutus, non ad legiones in insula expositas, quæ, Cornificio duce, magnis et ipsæ periculis premebantur, sed in Messalæ castra, prope Rhegium sita, ægerrime confugit. Dignus ea fiducia Messala virum a quo olim fuerat ipse proscriptus, adeo non oppressit jacentem aut ultus est, ut contra inopem omni cura refoverit. Καί μοι τοῦτο ἀναμνῆσαι νῦν ἔδοξεν ἐς ζήλωμα τῆς Ῥωμαίων ἀρετῆς, ὅπου Μεσσάλας, μόνον ἔχων ἐν τοσῇδε συμφορᾷ τὸν προγράψαντα, ἐθεράπευεν ὡς αὐτοκράτορα καὶ περιέσωζε. (Appian.)

Postquam denique extremo apud Naulochos prælio victus fususque S. Pompeius Asiam fuga petivit, ubi mox a Titio jugulatus est, victor Octavianus, grato erga Messalam animo, cujus inter ipsa pericula et virtutem et fidem erat expertus, insigni eum honore affecit. Aucto augurum collegio [1], qui jampridem quindecim numero a Sylla erant constituti, sextum ac decimum augurem Messalam cooptavit. Qui honos non nisi amplissimis civibus conferri solitus erat. Sed in hac Messalarum domo scientiam augularem omnes velut hereditate traditam possidebant. Nam hujus, de quo nunc scribi-

[1] Dio. Cass., XLIX, 16.

mus patris frater quinquaginta annos principem in illo collegio locum tenuerat, et de divinatione libros composuerat; itaque a plerisque scriptoribus, qui nostrum *oratoris* potius cognomine designant, *Messala augur* dictus est. Unde etiam evenit, ut patrui libros augurales, propter similitudinem nominum, ab hoc Nostro compositos quidam crediderint.

In aliis mox bellis Cæsar Messalæ virtutem expertus est. Antequam supremum de totius imperii possessione certamen cum Antonio committeret, ad omnes labores, ad omnia pericula contemnenda longo militiæ usu novisque pugnis legiones informare voluit. Itaque Pannonios ultro aggressus est, qui neque amplæ prædæ spem faciebant, neque Romanis intulerant injuriam; sed quum locorum asperitas, tum barbaræ gentis ferocia ad exercendam militis virtutem idonea videbatur. Anno 719/35 Pannoniorum montes invasit [1], et Siscia urbe potitus, quæ regionis totius erat præcipua, (propter quam Colapis fluvius et Savus [2] confluunt), relicto ibi præsidio, cui Fufius Geminus præerat, ipse Romam reversus est. Inde in Bri-

[1] Dio. Cass., XLIX, 36, 38.
[2] De Siscia vid. Plin., *Hist.*, III, 28.

tanniam, patris instar, sequenti anno pergere parabat, quum Pannoniorum recens subactorum seditio orta est. Simul vicini complures populi rebellaverant, et per juga montium usque in Galliæ fines hujus belli incendium longe lateque processerat.

Pannonios ipse Geminus, quanquam Siscia primum ejectus, in ditionem subegit. Interim adversus Dalmatas et Illyrios primum Agrippa, deinde Cæsar ipse non sine magno labore militabant. Messalà vero contra Alpium incolas, et præcipue Salassos, prospere bellum gessit. Τούς τε Σαλάσσους καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς μετ' αὐτῶν νεωτερίσαντας ὁ Μεσσάλας Οὐαλέριος ἐχειρώσατο [1].

Quædam de Salassis Plinius historicus [2] et Strabo [3] tradiderunt. Illi Alpium juga, in ea parte quæ ad Italiam vergit, et summam Duriæ vallem incolebant, per quam iter erat ex Italia in Galliam tendentibus. Ampla regio montibus prope circumclusa, et auri metallis dives, quibus Romani jampriden erant potiti. Sed Salassi quum in summa montium juga refugissent, ab armis Romanorum tuti, seu viatores omni vexabant latrocinio, seu publicanos

[1] Dio. Cass., XLIX, 38.
[2] Plin., *Hist.*, III, 21, 24, XVIII, 49.
[3] Strabo., IV, 6.

cogebant ut aquam eluendo auro necessariam, cujus ipsi fontes oblinebant, gravi pretio emerent. Cæterum barbara gens ita armis et opportunitate locorum pollebat, ut Decimum Brutum Mutina cum suis fugientem viritim denarium solvere coegerit.

Quos aggressus Messala sic debellavit ut prædationibus aliquantisper abstinerent, non ut omnis causa belli in posterum esset exempta. Appiani enim verba[1] μέχρι Μεσσάλας Κορούϊνος, αὐτοῖς ἐπιπεμφθείς, λιμῷ παρεστήσατο· καὶ Σαλασσοὶ μὲν οὕτως ἐλήφθησαν paulisper minuit Strabonis auctoritas. Cui si credimus, Messala, dum hostes pabulo et commeatu omni intercluderet, sic ipse in hibernis inopia laboravit, ut ab iis et ligna ad focum et ulmea hastilia, et quæ ad exercitationes prodessent pecunia redimere sit coactus, nedum armis præpotens victam regionem imperio ac terrore premeret. Idem testatur latrocinia non ante finem cepisse, quam gens universa[2] Eporediam deducta sub hasta vendita esset. Hujus belli confecti laus ad Terentium Varronem pertinuit, qui hoc ipso

[1] Appian., *de Reb. Illyric*, 17.
[2] In qua numerata sunt capitum millia sex et triginta, virorum autem militaris ætatis octo millia. Strabon., IV, 6.

in loco, ubi castra habuerat, coloniam condidit Augustam Prætoriam (hodie *Aoste*).

Hæc de Salassorum bello Strabo, Appianus, Dio Cassius nos docent. Tibullus vero, quum bellicas Messalæ laudes celebraret, nusquam barbaræ hujus gentis nomen induxit [1].

> Nam bellis experta cano; testis mihi victæ
> Fortis Iapydiæ miles, testis quoque fallax
> Pannonius, gelidas passim disjectus in Alpes;
> Testis Arupinas et pauper natus in armis.

Iapydes aut Iapodes inter Illyriæ populos erant, quorum oppidum Arupium [2] a Pannoniæ finibus non longe distabat.

Quum igitur bellum illud Alpinum, de quo cæteri rerum Romanorum scriptores consentiunt, poeta silentio solus præterierit, alios autem populos circa hoc tempus a Messala devictos solus sit qui testetur, ut hæc tam diversa specie testimonia conjecturis conciliare enitamur, necesse est. Inter Pannonios et Salassos nihil commune; poetis enim, quanquam multa semper concessa sunt, non tantum licet, ut duos populos inter se ignotos, diverso ge-

[1] Tibull., IV, 1, v. 107.

[2] De Arupio quædam tradiderunt Appianus, *Illyric*, 16), et Strabo, IV, 6, VII, 5. Inscriptiones in ea urbe repertæ sunt (Corp. III), quarum vero nulla ad Augusti principatum pertinet. In vetustissimis Nervæ nomen legitur.

nere, et tam longo intervallo distantes misceant. Itaque *Ayrmanno*[1] non assentior, in hoc versu Tibulli, quem supra retulimus, *et* post *passim* inserentis, ut per eos « qui gelidas passim disjecti in Alpes fuerint, scilicet a natura, id est, qui passim Alpes incoluerint, intelligantur Salassi, vicinique et in Alpibus pariter habitantes populi, quos uno alterove post anno Messala proprio Marte devicit, legatus ad eos proprætore missus a Cæsare. »[2] Vossium minus etiam probo, qui tantum sibi arrogavit, ut poetæ verba omnino mutaret : *Pannonius, gelidaque Salassus tectus ab Alpe.* Verisimilius est, subactis Salassis et montium vicinorum incolis (quod bellum obsidione potius quam vi confectum Tibullus omisit), a Cæsare, qui præcipuam belli molem adversus Illyrios et Dalmatas cum Pannoniis conjunctos sustinebat, accitum Messalam, ibi etiam aliquamdiu militasse.

Denique annus venit, quo de summa imperii decertaretur. Seposito Lepido, quem post Siciliense bellum Cæsar legionibus ac provinciis spoliaverat, et summi pontificis nomine modo

[1] Ayrmann., *Vit. Tibull.*, c. 35. — *Tibull.*, edit. Heynii quarta, cum notis Wunderlichii... Lipsiæ, 1818.
[2] J.-H. Vossii, *Tibull.*, Heidelbergæ, 1811.

ornatum Circeios relegaverat, duo tantum e triumviris supererant. Fœdus, in quinque annos Tarentina pace prorogatum, propter mutuas amborum inimicitias renovari non poterat. Repudiata enim Octavia, Cæsar, ut qui consortem potentiæ jam non pateretur, spretæ sororis injurias et violatum fœdus præ se ferebat. Variæ fuerunt hominum ut in tali tempore voluntates. Ex amicis Antonii qui tum Romæ versabantur, multi ad eum ultro profecti sunt: C. Sosio et Cn. Domitio consulibus libere exeundi copiam ipse fecit Octavianus [1]. Pauci, quum ab Antonio jampridem abalienati, aliquam tamen veteris amicitiæ memoriam retinerent, neque hunc illi anteponerent, in tanto omnium tumultu otium egerunt. Inter quos Asinius Pollio [2]: « quum se post Brundusinam pacem continuisset in Italia, neque aut vidisset unquam reginam (Cleopatram), aut post enervatum amore ejus Antonii animum partibus ejus se miscuisset, rogante Cæsare, ut secum ad bellum proficisceretur Actiacum, « mea, » inquit, in Antonium majora merita sunt, » illius in me beneficia notiora; itaque discri-

[1] Sueton., *Octav.*, 17.
[2] Vell. Paterc., II, 86.

» mini vestro me subtraham et ero præda vic-
» toris. »

Alii denique magis bono publico quam amicitiæ consuluerunt. Messalæ cum Antonio consuetudo recentior quam Pollionis fuerat, nec ad eamdem unquam familiaritatem perducta. Pollio inter veteres Antonii commilitones fuerat; cum eo etiam sub Cæsare stipendia meruerat, ejusque fortunam jampridem erat amplexus. Messala utroque duce potius quam vere amico usus erat. Quum denique in utrisque castris virum a quo fuisset olim proscriptus, et contra quem apud Philippos dimicavisset, intueretur, non amicitiam, quæ erga vel Antonium vel Cæsarem levis erat, sed unum patriæ amorem secutus est. Pollionem igitur laudemus, qui adversus Antonium sine læsæ amicitiæ crimine arma ferre non potuisset; sed Messalam sine reprehensione fuisse fateamur.

Quum Antonius, septennio jam ante consul designatus, sed populi suffragiis tunc exclusus, magistratum inire non posset, in ejus locum Messala suffectus est, collega Cæsare. Ille videlicet accessione viri valde gaudebat, qui probitate conspicuus, libertatis olim cum Bruto Cassioque defensor, honestiorem Cæsarianis partibus speciem prætendebat, quique, Antonii

nuper comes eum imperio indignum ipsa defectione significaverat. Quod ipse Messala postea, ut Plutarchus[1] testatur, palam professus est. Laudatus a Cæsare quod, ut ipsi apud Philippos hostis fuisset acerrimus, ita apud Actium maximam virtutem exhibuisset ac fidem, « Nimirum, inquit, Cæsar, semper meliorem ac justiorem causam sum secutus. »

Scilicet eo tempore multum inter Antonium intererat ac Cæsarem, multum uterque priscæ indolis amiserat. Hic tam fœdæ a principio crudelitatis, quem sævissimum tyrannum aliquando fore multi suspicabantur, ipsa imperii consuetudine, quæ plerosque in deterius mutat, ad justitiam ac mansuetudinem in dies propius accedens, postremo princeps evasit inter optimos adnumerandus : adeo sui potens, tantæ gravitatis, et vel inter extrema pericula constantiæ, ita civili specie consilia occultans, ut vere ad imperium exercendum natus esse videretur: alioqui tam in omnibus incœptis felix, ut divino consilio adjutum omnes jam existimarent. Ille quadam animi magnitudine olim conspicuus et ad exemplar antiquitatis expressus; sed vitia in dies effrenata erumpe-

[1] Plutarch., *Brutus*, c. 53.

bant. Sui impotens, prodigus, in omnes libidines effusus, existimationis hominum stolide contemptor, ut qui non civibus Romanis, sed servis Asiaticis imperare se crederet, togam exuerat, sumpto interdum Dei nomine ac vestitu; quasi Alexandrum imitatus, novum se Liberum Patrem appellari jubebat, et redimitus hederis coronaque velatus aurea et thyrsum tenens cothurnisque succinctus curru velut Liber Pater vehebatur Alexandreæ. Imo vel virtutem militarem dedidicerat, qui, dum Cæsar longo ac difficili bello Siciliam recuperaret aut Pannoniam subigeret, ipse rem contra Parthorum aut Armeniæ reges sic improspere gesserat, ut ei vel legati Ventidii victoriæ dedecori essent. Adde fœdum reginæ amorem, spretos Romanos mores, Romanos amicos, Romanum conjugium, demptas imperio provincias, quasi pueris, quos e Cleopatra genuerat, regna destinata. Sic non Cæsar adversus Antonium de summa potestate decernere videbatur, sed Roma ipsa

Cum Patribus populoque, Penatibus et Magnis Dis

contra provincias rebelles et barbaros populos ac deos supremum certamen conserere[1].

[1] Vell. Paterc., II, 82.

Quod in hoc bello munus et rebus antea gestis et consulari majestate dignum expleverit Messala, parum constat. Classis eum inter duces fuisse testatur Appianus[1] ναυαρχήσαντα κατὰ τοῦ Ἀντωνίου. Dextrum vero navium Julianarum cornu M. Lurio commissum, lævum Arruntio, Agrippæ omne classici certaminis arbitrium, docet Velleius[2]. Quid superest, nisi ut eum cum Cæsare « ei parti destinatum, in quam a fortuna vocaretur[3] » ubique adfuisse suspicemur? Fideli ac strenuo erga Cæsarem animo fuisse ex hoc Plutarchi loco patet, quem jam supra retulimus[4].

[1] Appian., *Bell. civil.*, IV, 38.
[2] Velle. Paterc., II, 85.
[3] Id.
[4] Plut., *Brutus*, c. 53.

CAPUT III

Messalæ iter in Syriam et Ægyptum, bellum Aquitanicum, triumphus, curatio viæ Latinæ, præfectura urbana; vitæ publicæ finis.

Bis deinde per sequentes annos in provincias a Cæsare cum imperio missus est. Unde magna inter doctos dissensio, utri prius muneri incubuerit, Aquitaniamne ante domuerit quam res in Oriente turbatas componeret, an paulo post Actiacum bellum in Orientem sit profectus. Quod quidem per se verisimilius nescio cur in dubium sæpius venerit.

Hoc igitur nobis propositum est, ut quem rerum ordinem fuisse opinemur, ante omnia explicemus: tum quæ doctis viris causa fuerit, cur a recta et simplici via deflecterent, inanesque conjecturas sequerentur, quærere vacabit.

Post Actiacam victoriam Cæsar comprimendæ seditionis causa, quæ apud legiones imminebat, in Italiam rediit; sed non ultra septem et viginti dies Brundusii commoratus, ad Orien-

tem rursus se contulit, Samumque reversus est, ubi hiemare cœperat. Mox Asiæ Syriæque circuitu Ægyptum petiit, ubi Antonius bellum instauraturus videbatur. Similiter Messalam suspicor in Italiam se primum recepisse: multa enim, dum Cæsar Orientem ipse præsens regeret, ibi ordinanda supererant. Insequenti autem anno, dum Cæsar Alexandrino bello manum ultimam imponeret, proconsulari forsan imperio Messala in Asiam, ut extrema belli civilis aboleret vestigia, navigavit. Quamvis justi vix superessent hostium exercitus, et minus militare quam civile munus esset obeundum, aliquid tamen in istis provinciis turbarum ac seditionis supererat, quod non solum consilio atque auctoritate dissolveret, sed vi refringeret. Unde fictus ille et in poeticum morem amplificatus Tibulli terror, qui amore Deliæ suæ perditus, bellum exsecrabatur[1]. Eum Messala, quanquam vix paucos menses habuerat cognitum, tamen ita jam diligebat, ut secum in hac navigatione comitem vellet abducere. Poetæ patrimonium bella civilia et infelicitas temporum valde minuerant; ipse in Panegyrico testatur (v. 183)[2].

[1] I. *Eleg.*, I, 2, 10.
[2] Vide *Append.*, II.

Nam mihi, quum magnis opibus domus alta niteret....
Nunc desiderium superest; nam cura novatur,
Quum memor anteactos semper dolor admonet annos.

Sed per occasiones externi belli rem familiarem amplificare potuisset. Diu tamen dubitavit, spretis præ amore divitiis,

Me mea paupertas vitæ traducat inerti. [1]

donec Deliæ suæ amplexus ac lacrimas fugiens navem conscendit. Sed mox Corcyræ morbo correptus, abeuntes amicos his lepidis versibus salutavit (*Eleg.* I. 3) :

Ibitis Ægæas sine me, Messala, per undas,
O utinam memores, ipse cohorsque mei.

Tandem ubi convaluit Romam solus reversus est.

Interea Messala iter faciebat in provinciam, ubi sane adversus Cilicas pugnavit; ut arguit versus Tibulli (I. 2. 69) :

Ille licet Cilicum victas agat ante catervas,

et hic, post reditum Messalæ compositus (I. 7. 16) :

Quantus et, ætherio contingens vertice nubes
Frigidus intonsos Taurus alat Cilicas.

[1] Tibull., *Eleg.*, I, 1, v. 5.

Ex uno facto, quod Dio Cassius fusius narravit[1], colligi potest, non multum temporis, vix paucos menses, inter Actiacam victoriam et hoc iter Messalæ incidisse. Gladiatores Antonio, quem tot potentiores amici nuper deseruerant, ad extremum fidi, e Cyzico urbe in Ægyptum usque contendebant, ut laboranti opem iferrent. A Didio, Syriæ præfecto, ægre cohibiti ac circumventi, non ante arma posuerunt quam, nullo nuntio accepto, Antonium jam occidisse arbitrarentur. Tunc se suaque ea lege dediderunt, ne postea gladiatores essent, illisque Didius Daphnen, Antiochiæ subjacentem, domicilium assignavit. Sed deinde a Messala decepti sunt, qui tanquam militiæ vellet adscribere, alios alio misit, et sic divisos ad unum oppressit.

Ægyptum etiam, eodem Tibullo[2] teste, Messala adiit, ut sive consilia cum Cæsare de provinciis ordinandis communicaret, sive eo functus officio quod peragendum acceperat, rationem rerum gestarum principi redderet, quem comitatus Romam deinceps regressus est.

Tunc pacato Oriente, et bellis civilibus exter-

[1] Dio Cassius, LI, 7.
[2] Tibull., I, 7, v. 21.

nisque compositis, Jani portæ clausæ sunt, et triplicem triumphum de barbaris qui cum Antonio arma consociaverant, Cæsar duxit. Sed breve hujus pacis intervallum : supererant adhuc populi, qui inter civiles discordias libertatem sibi vindicare tentavissent, Aquitani præcipue, quos nec C. Cæsar, nec varii post illum duces plane domuerant. Anno igitur 726/28, paucis post Janum clausum mensibus, novum bellum oritur; quod ductu auspiciisque Messalæ feliciter confectum est. Tunc eum comitatus est Tibullus, qui et victarum gentium nomina versibus refert, et se periculorum gloriæque participem fuisse commemorat. Imo auctor ejus vitæ, quæ in plerisque codicibus manuscriptis legitur, poetam in hoc bello præmiis militaribus ornatum fuisse contendit.

Non sine me est tibi partus honos; Tarbella Pyrene
Testis, et Oceani littora Santonici;
Testis Arar Rhodanusque celer, magnusque Garumna,
Carnuti et flavi cærula lympha Liger. [1]

Aquitaniæ nomine pars Galliæ non mediocris designabatur. Longe lateque bellum processerat; nomina ipsa fluviorum, quæ versibus inseruit poeta, satis docent. Ob receptam tan-

[1] Tibull., I, 7, v. 9.

tam regionem Messala triumphavit. Testis idem Tibullus :

> At te victrices lauros, Messala, gerentem
> Portabat niveis currus eburnus equis.

testes etiam Fasti Capitolini, quibus hoc legimus :

> M. VALERIUS. M. F. M. N. MESSALLA, A. DCCXXVI [1]
> CORVINUS. PRO. COS. EX. GALLIA VII. K. OCT.

Hic igitur, ut opinor, rerum ordo fuit : paucis post Actiacam pugnam mensibus, id est, quum belli Antoniani incendium nondum omne deflagraverat, Messala in Orientis provincias navigavit ; adversus autem Aquitanos anno ante pugnavit, quam ex illis triumphum referret.

Wiesius aliter sentit [2], et sic disserit : « Oportet ante annum 725 in provinciæ formam redactam fuisse Aquitaniam, quo anno Janum clausum esse scimus, quandoquidem non in leviorum tumultuum numerum refe-

[1] Qui annus secundum Varronis rationem, quam sequimur, 727 haberi debet.

[2] Wiesius (p. 22) Heynii opinionem secutus est ; (*Edit. Tibull.*) contra stat B. S. Teufelii auctoritas (*Studien und Charakteristiken* (p. 346).

» rendum patet Aquitanicum hoc bellum, qui-
» bus comprimendis et illo tempore occupatos
» Romanorum exercitus commemorat Dio
» Cassius (41. 20): Τάς τε πύλας τὰς τοῦ Ἰανοῦ ὡς
» πάντων σφίσι τῶν πολέμων πεπαυμένων αὐτοῖς, ἔκλει-
» σαν· ἦσαν μὲν γὰρ ἐν ὅπλοις ἔτι καὶ Τριούηροι Κελτοὺς
» ἐπαγαγόμενοι καὶ Κάνταβροι καὶ Οὐακκαῖοι καὶ
» Ἄστυρες, ἄλλα τε ὡς καθ' ἑκάστους ταραχώδη
» συχνὰ ἐγίγνετο. ἀλλ' ἐπειδὴ μηδὲν μέγα ἀπ' αὐτῶν
» συνηνέχθη, οὔτε Ῥωμαῖοι τότε πολεμεῖσθαι ἐνόμιζον,
» οὔτε ἐγὼ ἐπιφανές τι περὶ αὐτῶν γράψαι ἔχω.

Ratio satis per se quidem speciosa, non invicta. Non enim de Aquitania agitur in certam provinciæ formam redigenda, quæ, ut reliqua Gallia, jam illud provinciæ nomen a Cæsare acceperat. Cantabri, adversus quos Octavianus ipse difficillimum bellum postea gessit, quique jam tum erant in armis, quum vix hostes essent numerati, Janus nihilominus clausus est. Quæ igitur causa est, cur Aquitanos minus feroces, non hostes, sed rebelles, quos facile domuit non Cæsar, sed ejus legatus, pariter exceptos fuisse non arbitremur, istamque rebellionem adeo a Romanis contemptam, ut vix belli nomine digna sit judicata?

Præterea, cur Wiesii conjecturæ adversemur, duæ causæ sunt, quarum unam jam do-

cuimus. Gladiatores illos, qui Antonio fideles ad extremum steterant, paucis post Actiacam pugnam non annis sed mensibus a Messala in Syria per fraudem oppressos quis neget?

Alteram frustra, ut opinor, Wiesius refutare conatus est. Si ante annum 725/29 belli Aquitanici finem fuisse statuimus, quæ causa fuit dilati in tres annos triumphi? Nam illud exemplum nihil ad rem pertinet « quod Agrippa Galliæ victor anno 717/37, post Siciliam demum receptam triumphum jampridem sibi decretum egerit. » Agrippæ causa moræ suberat, quæ non Messalæ. Ille indecorum profecto fore existimasset, si re adversus S. Pompeium a Cæsare infeliciter gesta ipse exsultaret: hic vero, quum anno 725/29 triplicem triumphum Octavianus egisset, cur victoriæ jam antea relatæ mercedem in posterum distulisset?

Teuffelii vero sententia non placet, vel aliorum qui bis in Orientem cum imperio navigasse Messalam contenderunt, et in altero demum illo itinere ægrum Tibullum Corcyræ remansisse. De illa provincia Messalæ iterum commissa nulla apud scriptorem quemquam mentio reperitur: ut novum illud iter fingerent, doctos viros olim induxit falsa de Tibulli ætate

opinio: cui quum notos illos tertii libri versus[1] tribuerent

Natalem primo nostrum videre parentes,
Quum cecidit fato consul uterque pari,

anno 711/43 natum poetam arbitrabantur. Ejus ætas quo præliis et amoribus aptior videretur, has primi libri elegias, quæ, ut opinio nostra fert, paulo post Actiacam pugnam in lucem prodierunt, post annum 730/24 scriptas arbitrabantur, et Messalæ secum poetam abducentis alteram illam navigationem finxerunt. Hodie vero plerique tertium elegiarum librum Tibullo assignare desierunt[2], et ante Mutinensem pugnam decem circiter annis natum eum existimant. Ergo incertam prorsus et inutilem conjecturam rejiciamus.

Pauca nunc de publica Messalæ vita dicenda supererunt. Ex manubiis belli Gallici, ut mos erat triumphalium virorum, partem in publicum usum contulit: quum theatra, circos, balnea, porticus plerique impensis suis exstruerent, opus utilius Messala sibi adsumpsit. Nam ut Suetonius[3] refert « Quo facilius undique

[1] Tibull., III, 5, v. 17.
[2] Vide infra, c. V.
[3] Suet., *Octav.*, 40.

urbs adiretur, Octavianus desumpta sibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit ». Cujus autem viæ curam Messala potissimum susceperit, indicat Tibullus [1].

Nec taceat monumenta viæ, quem Tuscula tellus,
Candidaque antique detinet Alba Lare.
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur, hic apta jungitur arte silex.
Te canet agricola, e magna quum venerit urbe
Serus, inoffensum retuleritque pedem.

Latinam viam his verbis designat, quam Strabo [2] postea minutissime descripsit : « Ἄρχεται δὲ (ἡ Λατίνη ὁδὸς) ἀπὸ τῆς Ἀππίας, ἐν ἀριστερᾷ ἀπ' αὐτῆς ἐκτρεπομένη πλησίον Ῥώμης, εἶτα διὰ τοῦ Τουσκλανοῦ ὄρους ὑπερβᾶσα μεταξὺ Τούσκλου πόλεως καὶ τοῦ Ἀλβανοῦ ὄρους κάτεισιν ἐπὶ Ἄλγιδον πολίχνιον καὶ Πικτὰς πανδοχεῖα... » Apud Casilinum, urbem undeviginti stadiis a Capua distantem, Latina via finem habebat, in Appiam incidens. Urbium, in quas ducebat, præcipuæ erant Ferentinum, Frusino, Fabrateria, Aquinum, Casinum, Teanum. Sed quum de suburbanis modo oppidis poeta loquatur, totiusne viæ curam Messala

[1] Tibull., I, 7, v. 57, 62.
[2] Strabo., V, 3.

susceperit, an proximam Romæ partem tantummodo refecerit, parum constat [1].

Sed quoniam de exstructis a Messala operibus agitur, Martialis etiam in testimonium vocandus est: ille, dum æternam suis versibus gloriam pollicetur, cum magnificis et prope in æternum duraturis ædificiis opera comparat, quæ ipse exegit [2].

Et quum rupta situ Messalæ saxa jacebunt,
Altaque quum Licini marmora pulvis erunt,
Me tamen ora legent....

item in decimo epigrammatum libro:

Marmora Messalæ findit caprificus, et audax
Dimidios Crispi mulio ridet equos.
At chartis nec furta nocent, nec sæcula prosunt.

Sic poeta de his monumentis loquitur, ut illa propter splendorem quasi in proverbium apud Romanos venisse doceat. Quem vero in usum magnifica illa marmora Messala exstruxerit, non liquet.

[1] Hic Wiesio non assentior, qui Broukhusium secutus (p. 29) « via inter Tusculum oppidum montemque Albanum munita ipsum poetam Romam per Tusculum ad Peilanum suum traductum fuisse » contendit. Quælibet via ut Romam, ita Pedum ducit, fateor; sed quum Pedum inter Præneste et Gabios in via Prænestina situm fuisse constet, hoc rectum iter, dimidio brevius, poeta sequi, ut opinor, malebat, quam longo et inutili circuitu viam Latinam petere.

[2] Martial., VIII, 3, X, 2.

Vix deinde otio, in quod secesserat, Messala egressus est; quanquam ad rerum publicarum curam eum revocare Cæsar interdum conabatur. Anno enim 728/26, ut apud Eusebium reperimus, novo magistratu creato, Messalam, qui hoc munus expleret, designavit. Cæsaris enim hoc erat consilium, ut iis, qui veteres magistratus, consulatum aut præturam, in annum gererent, plus honoris quam veræ potentiæ concederet. Præfecti urbis olim fuerant, qui, profectis domo regibus, custodiam Romæ exercerent. Regibus expulsis, alter consulum, aut unus e tribunis militum potestate consulari; si uterque consul abesset, ne urbs sine imperio foret, civis ab iis designabatur [1] qui et senatum haberet, et jus redderet, ac subitis mederetur. Mox præfecti urbis in locum prætores successere; priscum illum magistratum prope aboleverat oblivio. « Durabat modo, ut ait Tacitus [2], simulacrum, quoties ob ferias Latinas præficiebatur qui consulare munus usurparet ». Sed proximis annis, jam interdum præfecti fuerant, qui turbatis reipublicæ temporibus, imperatoris absentis quasi vicarii,

[1] Willems. *Le droit public romain*, p. 254.
[2] Tacit., *Annal*, VI, 11.

omnia domi regerent. Sic C. Cæsar dictator ante quam in Hispaniam adversus Cn. Pompeii filios proficisceretur, in annum 709/45 sex aut octo præfectos (πολιανόμους [1]) instituerat, qui pro prætoribus res urbanas administrarent [2]. Sic etiam, teste Tacito, Mæcenatem Octavianus cunctis apud Romam atque Italiam præposuerat.

Nunc vero illud intererat, quod summus ille magistratus, ne in comitiis quidem electus, quæ adhuc ad ludibrium habebantur, sed principis arbitrio creatus, vel in pace, vel tranquilla urbe et Italia tamdiu imperium retineret, quoad a Cæsare probaretur [3]. Quo honore affectus Messala adeo non lætatus est, ut contra sexto die magistratu se abdicaverit, quasi nescius exercendi, ut ait Tacitus (fictam causam hanc fuisse apparet) vel, ut Eusebius tradit, « incivilem esse contestans », quod vero propius accedere plerique existimaverunt.

Messalam enim, ut post actum de Aquitanis triumphum a vita publica secederet, non amor desidiæ impulerat, cui nunquam se tradidit.

[1] Dio. Cass., XLIII, 28, 48.
[2] Sueton., *Cæsar*, 76.
[3] Viginti per annos Piso præfectura functus est. Tacit., *Annal.*, VI, 11.

Alia prorsus videtur exstitisse causa, quæ a negotiis eum amoveret. Multi adhuc erant summi viri, qui non omnia in melius mutata judicarent, sed præterita tempora secreto desiderio prosequerentur. Ille præsertim juventutis memor, et cum Cicerone aliisque libertatis defensoribus olim conjunctus, non poterat quin ad illum liberæ civitatis statum respiceret. Ibi principem locum nobilitate, virtute ac meritis majores obtinuerant, quum ipse, vel animi ingeniique dotibus clarus, reipa servitutem quanquam honestis adhuc et speciosis nominibus decoratam pateretur ; non a civium suffragiis, ut antea, sed ab unius arbitrio merces benefactorum pendebat.

Non tam Cæsaris amicitia ductus, quam Antonii odio et contemptu, non tam pro Cæsaris dominatione quam pro Romani imperii incolumitate nuper apud Actium pugnaverat. De principis ipsius ingenio dubitari adhuc poterat; nondum is esse videbatur, qui parem non ferret; nondum adeo supra omnes eminuerat, ut ad se omnia traheret. Patris exemplo edoctus, non commiserat ut secreta consilia statim aperiret, civiumque sensus offenderet, sed in captando imperio cautus paulatim processerat. Tot novos et legibus vetitos honores velut

ægre et invitus acceperat. Quum tædium imperii simularet, et se tanto onere fessum, post clausa bella civilia in pristinum statum omnia reducere prope polliceretur, non paucos suscepta ista legum amatoris persona decipiebat. Antonio autem semel victo, quamvis adhuc dissimularet, neminem ejus ambitio fefellit. Domini quidem appellationem, ut maledictum et opprobrium, semper exhorruit [1], sed Augusti nomine assumpto, quod antea nonnisi superis tribuebatur, tanto magis sese supra naturam mortalium extulit. Dictaturam magna vi offerente populo genibus nixus, nudo pectore, deprecatus erat, sed per alias vias ad ampliorem potentiam tutus accessit.

Ob eas causas Messalam suspicor ab Augusto paulatim abalienatum fuisse, qui post sedatas discordias non modo extraordinarium imperium non abdicasset, sed in novum dominationis gradum quotannis ascenderet. Hoc erat Augusti proprium ut summa reverentia legum consilia tegeret legibus et libertati maxime repugnantia. Quum igitur, suadente Mæcenate [2], illam præfecturam urbis restituit a regibus olim creatam, honesto Messalæ nomine

[1] Sueton., *Octav.*, 53.
[2] Dio Cassius, LII, 21.

ad minuendam invidiam utebatur. Sensit autem ille, et quum libertatem non posset revocare, saltem dominationis confirmandæ socius esse noluit.

Sic erga Augustum se gessit, tam ab obsequio quam a contumelia remotus, ut qui ad meliora tempora reipublicæ natus, novos mores nondum didicisset. Inter fœde adulantes quasi liberioris temporis memoriam referens cum paucis supererat. Augusto prope familiariter usus est, ut tamen cum eo semper libere loqueretur. Testis illa vox, quam paulo ante retulimus, « semper se meliores et justiores partes amplexum esse. » Testis etiam ille locus Plutarchi [1] : « Stratonem Messala, qui Bruti olim amicus fuerat, in colloquio cum Cæsare quadam die produxit, et cum lacrimis addidit : hic est ille, Cæsar, qui erga meum Brutum supremo munere functus est, » gladium prætendens in quem Brutus quum magna vi se conjecisset transfossus cecidit.

Hujus Messalæ libertatis memoriam posteri servaverant. Quum a principibus in omnes sævitum est, qui virilem sensum retinebant, quum huic verba non adulantia, fuerunt exitio,

[1] Plutarch., *Brutus*, 53.

illi inimicæ cogitationis vel suspicio præsentis dominationis in contumeliam Augusti et Messalæ nomina non sine magna laude memorabantur. Sic Cremutius Cordus [1], in senatu postulatus quod editis annalibus laudatoque M. Bruto, C. Cassium Romanorum ultimum dixisset, in defensione retulit, quam impune Messala fidum erga hostes ab Augusto olim proscriptos animum servavisset : « Asinii Pollionis scripta egregiam eorumdem (Cassii et Bruti) memoriam tradunt. Messala Corvinus imperatorem suum Cassium prædicabat, et uterque opibus atque honoribus perviguere ».

Etenim Augustus singulari erga illum benevolentia utebatur, nedum contumaciam reprehenderet. Valerii illius tribuni militum, quem in certamine adversus Gallorum ducem corvus divinitus, ut aiunt, missus adjuverat, quum statuam Augustus in foro inter tot insignium virorum monumenta juberet institui [2], non tam illi profecto in animo erat unum e Messalæ majoribus quam ipsum Messalam honorare, aut palam facere omnibus non eam esse prin-

[1] Tacit. *Annal.*, IV, 34.

[2] A. Gell. *Noct. Attic.*, IX, 11. — Statuam Corvino isti divus Augustus in foro suo statuendam curavit. In ejus statuæ capite corvi simulacrum est pugnæque, quam diximus, monumentum.

cipis indolem, quam a laudanda vel remuneranda virtute levis offensæ dolor averteret [1].

De publica Messalæ vita nihil jam superest quod adjiciamus. Non enim ad illum, sed ad alterum ejusdem gentis ac nominis virum hic Suetonii locus pertinet [2] : « Patris Patriæ cognomen universi repentino maximoque consensu detulerunt ei (Augusto) : prima plebs, legatione Antium missa ; deinde, quod non recipiebat, ineunti Romæ spectacula frequens et laureata ; mox in curia senatus, neque decreto neque acclamatione, sed per Valerium Messalam » cujus deinde ipsa, ut tum dicta sunt, verba Suetonius apposuit.

Hic propter similitudinem nominum aliquot scriptores, Vossius et Ayrmannus præcipue, in errorem inducti, ad nostrum Messalam hoc retulerunt, quod a libero ejus animo abhorrere potius crediderim. Wiesius, quum quindecim ante annis, quam tradiderat Eusebius, et natum et mortuum esse Messalam affirmet, eum hoc tempore jam e vita decessisse demonstrat : mi-

[1] Sic apud Dionem legimus : « καὶ ἐπειδὴ ἡ οἰκία ἡ ἐν τῷ Παλατίῳ ὄρει, ἡ πρότερον μὲν τοῦ Ἀντωνίου γενομένη, ὕστερον δὲ τῷ Ἀγρίππᾳ καὶ τῷ Μεσσάλᾳ δοθεῖσα, κατεφλέχθη, τῷ μὲν Μεσσάλᾳ ἀργυρίον ἐχαρίσατο, τὸν δὲ Ἀγρίππαν σύνοικον ἐποιήσατο. » Lib. LIII, c. 27.

[2] Sueton, *Octav.*, 58.

rum quidem et invictum argumentum, nisi falsa temporum computatione niteretur.

Sed hoc verius : anno urbis conditæ 758/4 post Christum, quo Patris Patriæ nomine salutatus est Augustus, consules erant L. Valerius Messala Volusus et L. Cornelius Cinna Magnus: de hoc Messala, qui nostro propinquus erat, Suetonium loqui verisimile est. Quis enim dignior, quam consul, totius ordinis auctoritatis ac majestatis fuisset interpres? Adde quod, sive apud cæteros latinæ linguæ scriptores, sive apud ipsum Suetonium, semper Messalæ Corvini, nunquam Valerii Messalæ nomine hic, de quo nunc agimus, designatur.

CAPUT IV

De Messalæ scriptis et studio eloquentiæ.

Circa annum quadragesimum, expleto honorum cursu, Messala reipublicæ gerendæ curam omisit; quid per triginta reliquos annos egerit persequemur; nam viribus adhuc et ingenio vigens, non is erat qui segnitiæ se traderet, et illam Scipionis Africani vocem a Cicerone traditam, « nunquam se minus otiosum esse, quam quum otiosus, » etiam de hoc usurpare possumus. Itaque ejus in memoriam novus vitæ cursus, quem postea tenuit optimis studiis deditus, non minus laudis quam tot bella, quam consulatus et triumphus ipse contulit.

Qui e procellis incolumes emerserunt, præterita pericula non sine quadam dulcedine recordantur. In hoc bellorum civilium tumultu multa Messala aut ipse egerat, aut propius viderat. Sensit tot calamitatum, quibus fuisset mixtus, tot præliorum aut consiliorum notitiam non ad æquales aut Romanos solum, sed ad

omnia posterorum sæcula interesse. Huic sane nihil antiquius visum est, quam ut tot gravissimos casus memoria repeteret et sua manu conscriptos nepotibus traderet. Sic eodem tempore inter Romanos illustres nonnulli Cæsaris exemplum sequebantur, qui tam venustos commentarios de rebus suis condidit. Pollio, in eodem belli fluctu jactatus, totam civilium discordiarum seriem longo opere evolvere erat aggressus. Augustus ipse quosdam commentarios composuerat rerum suarum ; sic profecto alii, quorum in illo totius prope antiquitatis naufragio ne nomina quidem emerserunt.

Hæc in Messalæ commentariis præcipua laus aut utilitas inerat, quod ille qui cum talibus viris, quales fuerant Brutus et Cassius, familiariter vixisset, de illorum virtute, indole, consiliis, rebus gestis, morte denique, vera ac locupletia testimonia melius, quam quivis alius, posset proferre. Quod, quum per se verisimile, tum a Plutarcho confirmatur, qui in narranda Bruti vita vel septies Messalam nominatim producit, et ejus auctoritate in hoc præsertim nititur, quod ad Philippensem cladem et supremum Cassii Brutique colloquium, et voluntariam utriusque mortem attinet [1].

[1] PLUTARCH., *Brutus*, c. 40, 41, 42, 45, 53.

Item in Antonii vita, Messala, qui ducem eum secutus est, Cleopatram profecto vidit, quum ad causam dicendam ab Antonio evocata, aurata navi, prope divino habitu, inter concursantium admirationem in amne Cydno veheretur [1].

Illas etiam ἀμιμήτου βίου delicias, illa Antonii in omne luxuriæ genus turpiter erumpentis [2] flagitia cum contemptu vidit et narravit. Testis Plinius [3] : « Messala orator prodidit, Antonium triumvirum aureis usum vasis in omnibus obscenis desideriis, pudendo crimine etiam Cleopatræ. » Alio loco stultitiam reginæ unionem maximi pretii in aceto resolventis ac liquefactum absorbentis, Plinius fusius narravit [4], Messala etiam, ut opinor, teste usus, quem inter auctores in illo libro relatos nominat.

Utrum in scribendis commentariis Messala græca an latina lingua sit usus, quidam dubitaverunt : Wiesius græcam conjicit [5]. Hoc fateor a Romanorum ejusdem ætatis consuetu-

[1] Plutarch. *Anton.*, c. 27.
[2] Plutarch. *Anton.*, c, 29, 30.
[3] Plin. *Histor.*, XXXIII, 14.
[4] Plin., IX, c. 58.
[5] Wiesius, p. 72.

dine non abhorruisse, qui Athenis fere educati, græca lingua tanquam patria ac vernacula utebantur. Isti vero conjecturæ obstat Plinii auctoritas. Ille quum in fontibus operis sui inter Romanos auctores ter Messalam retulerit, (Lib. IX. XXXIII. XXXV) nusquam hæc verba *qui græce scripsit*, ejus nomini addidit; quam mentionem in L. Tarutio, Sextio Nigro, Julio Basso, Romanis qui græca opera condiderant, non commisit ut præteriret.

Philosophiæ etiam, cujus inclytos magistros Athenis, Theomnestum et Cratippum[1], cum Horatio et Cicerone adolescens audiverat, fuit studiosus. Eum Horatius Socraticis madentem sermonibus dicebat[2], unde etiam conjici potest, Academiæ disciplinam, quam profitebatur Theomnestus, ante alias illi placuisse, sed in illo genere nihil scripsisse traditus est.

Grammaticam feliciter attigit, Cæsaris instar, qui minutas illas et abstrusas disquisitiones vel inter gravissimas belli curas non contempserat, præcipue quum notos de Analogia libros conscriberet. De his Messalæ studiis Quintilianus præsertim mentionem facit; qui quum adolescentibus, quos ad artem ora-

[1] PLUTARCH., *Brutus*, 24.
[2] HORAT., *Od.*, III, 21.

toriam instruit, grammaticam commendat, tam illustria exempla non præterit. Hanc scientiam clarissimis viris non modo non nocuisse, sed ad dictionem plurimum contulisse docet [1]: « An vim Cæsaris fregerunt editi de Analogia libri, aut ideo minus Messala nitidus, quia quosdam totos libellos non de verbis modo singulis, sed litteris dedit? » Ex his libellis unum non semel laudat idem Quintilianus, de littera S compositum, et ab eo quædam exempla mutuatur [2]. In omnibus iis quæ ad linguæ latinæ scientiam pertinebant, præsertim quum de recto ac legitimo verborum usu ageretur, tanti æstimatam fuisse constat Messalæ opinionem, quasi summus dicendi arbiter eo tempore fuisset, nec de ejus sententiis ad alium quempiam judicem licuisset provocare. Sed ea sunt istius generis fragmenta, in quibus ejus auctoritate veteres grammatici Festus [3] et Sosipater Charisius [4] nituntur, ut ejus modo studiorum obscura memoria servata sit, ipse studiorum fructus interierit.

[1] Quintil., I, 7.
[2] Quintil., I, 7, IX, 4.
[3] Festus., *De significat. verb.*, XVII, p. 574 (edit. Savagnier. Paris, 1846).
[4] Sosip. Charisius., *Inst. Gramm.*, edit. Putsch. (Hanoviæ, 1605), p. 80, 103, 119.

Sed eloquentia maxime inter æquales eminebat: hæc ejus fuit summa laus, de qua adeo certa et multa testimonia veteres ediderunt, ut vel sola possit nomen ejus apud posteros commendare. *Corvinus orator* a scriptoribus latinis sæpe dictus est; hac propria ac peculiari appellatione a cæteris ejusdem domus illustribus viris distinguebatur. Hic etiam sola studiorum ejus memoria superest, neque exstat una vel pagina vel sententia, ex qua ejus dicendi genus ipsi per nos æstimemus. Illud saltem suscipi potest, ut his testimoniis freti non modo quas egerit causas, sed quo in genere eloquentiæ versatus sit, conjectura indicare conemur.

Ex illo oratorum proventu fuit, qui circa Ciceronis senectutem Romæ plurimi floruerunt, eo scilicet tempore, quo ad summum fastigium eloquentia provecta, quandoquidem altius ferri vix liceret, non poterat quin paulo decresceret, etiamsi aliæ causæ non exstitissent quam humanæ naturæ insita debilitas; sed aliæ insuper fuerunt. Nobiles illos juvenes, quos Ciceronis, Hortensii et aliorum gloria et exemplum incenderat, qui si non eos superandi, saltem cum iis æmulandi cupiditate certabant, nova bellorum civilium series ab instituto studiorum cursu

deterruit. Fuerunt quorum spes mors immatura præcideret, Brutus imprimis, de quo tanta Cicero præsumpserat, sed qui longum vitæ tempus non explevit. Alios bellum non abripuit, sed quum positis armis togam rursus induerunt, is erat status civitatis, ut magnæ illi, quæ tamdiu Romæ floruerat, eloquentiæ non superesset locus. Jam non libera civium voluntate, liberis suffragiis, sed unius omnia pendebant arbitrio. Nullæ jam apud populum conciones, ne comitia quidem, nisi ad ludibrium servata. Non magna consilia in senatu agitabantur, cujus sententiam ea lege Augustus rogabat, ut cum principis voluntate plane congrueret. Hæc erat omnis senatorum cura, non ut dicentis argumenta ponderarent, sed ut Cæsaris opinionem aut præsentis vultu scrutarentur, aut absentis præsagirent.

Judicia modo supererant, sed ea non in quibus adhuc pleraque reipublicæ negotia agitarentur, sors provinciarum disputaretur, summi cives inter se eloquentia, gratia, auctoritate de principatu certarent. Sors Verris, Murenæ, Milonis cum totius prope civitatis sorte ac conditione cohærebat; sed minutæ privatorum causæ, infima negotia arctius oratoris ingenio spatium aperiebant. Non immerito orbitatem

fori ac dignitatem eloquentiæ amissam Cicero nuper defleverat.

Sic præcisa magnæ eloquentiæ spes quam Messala conceperat adolescens. Nam magnæ res, quæ ingenii flammæ materiam quasi ministrant, ei defuerunt, et propter iniquitatem temporum princeps causidicorum potius quam vere magnus orator futurus erat. Sed nec ei deerat ingenium unde amplius aliquid, si ea fata fuissent, atque excelsius ederet. A Cicerone[1] magnifice laudabatur: « tantam omnium laudum excellentiam non queo silentio præterire; cave putes probitate, constantia, cura, studio reipublicæ quidquam illi esse simile: ut eloquentia, qua mirabiliter excellit, vix in eo locum ad laudandum habere videatur. » Sic ante vicesimum ætatis annum, ante etiam quam Athenas novorum studiorum cupidus proficisceretur, jam causas agere in foro cœperat. Initium dicendi prius ab eo factum, quam plane studia absolvisset, non est quod miremur. Ea fere erat Romanorum consuetudo, quum ipse Cicero, qui jam in judiciis adolescens verba facere cœperat, septimum deinde et vicesimum annum agens, jam in Urbe facundia cla-

[1] Vide *Append.* III.

rus, ad optimos dicendi magistros Asiæ Græciæque se contulerit, ea, ut ipse scribit, voluntate, ut quædam orationis suæ vitia emendaret, et quasdam dotes exercitatione proferret in melius.

Servius Sulpicius, inter optimos ejus temporis patronos habitus, bello Mutinensi mortem obiit. Is contra Messalam egisse a Quintiliano[1] traditur : « Illud vero utilissimum, nosse eas causas quarum orationes in manus sumpserimus, et, quoties contingit, utrinque habitas legere actiones, ut Demosthenis atque Æschinis inter se contrarias, et Servii Sulpicii atque Messalæ, quorum alter pro Aufidia, contra dixit alter ». Eam causam Ellendtius[2] non modo ante mortem Cæsaris, sed etiam ante quam bellum civile oriretur actam fuisse contendit : quæ conjectura, præterquam quod cum annorum ratione nimis repugnat, uno argumento, eoque levissimo, nititur, quod « eo tempore forum eloquentia orbatum non semel Cicero sit questus ». Cui vero non apparet eam eloquentiam, quæ non in judiciis, sed in concionibus versabatur, tum siluisse, neque

[1] Quintil., X, 1.
[2] Meyer, *Fragm. orator.*

ullo vel sævissimæ dominationis tempore causas privatorum coram judicibus tractari desiisse ?

Sed etiamsi paucis ante Mutinense bellum diebus, scilicet extremo vitæ tempore, hanc contra Aufidiam orationem a Servio Sulpicio habitam existimemus, miremur Messalam in hoc primo eloquentiæ tirocinio, adversus senem inclytum et in judiciis jamdiu versantem adeo feliciter causam egisse, ut vel multis post annis ejus oratio inter optimas ac notissimas haberetur.

Interruptus, seu bello civili, seu juncta cum Antonio per aliquot annos consuetudine studiorum et eloquentiæ cursus fuit. Sed post Brundusinam pacem, inter belli Siculi moras, in judiciis mox inclaruit. Quo studio, quam frequenter dixerit, ex Horatii satira[1] constat, eo circiter tempore edita :

> Quum Pedius causas exsudet Poplicola, atque
> Corvinus,

Ibi deinde honestissimum, vel principem inter æmulos locum adeptus est, ut etiam Horatius his versibus[2] significat :

> Consultus juris et actor

[1] Horat., *Sat.*, I, 10, v. 38.
[2] *Epist. ad Pison.*, v. 370.

Causarum mediocris abest virtute diserti
Messalæ, nec scit quantum Cascellius Aulus.

Sed jam ante quam hac ab Horatio laude Messala ornatus est, auctor Panegyrici scripserat [1] :

Nam seu diversi fremat inconstantia vulgi,
Non alius sedare queat : seu judicis ira
Sit placanda, tuis poterit mitescere verbis.
Non Pylos aut Ithace tantos genuisse feruntur
Nestora, vel parvæ magnum decus urbis Ulixen :

Quo in pretio sit habitus tem significat Suetonius, de Tiberio Cæsare quum dicit [2] : « In oratione Latina secutus est Corvinum Messalam, qnem senem adolescens observaverat »; quasi non alter imitatione dignior eo tempore judicaretur, nec qui ad veterum oratorum virtutem propius accederet. Adde illum Taciti de Oratoribus dialogum, in quo frequens Messalæ mentio incidit, non semper quidem laudati, nam ut Ciceroni, ita tum illi apud multos ipsa antiquitas nocebat, et lætius quoddam dicendi genus in honore erat; sed apud Tacitum vel recentiorum oratorum amici fatentur eum primas, post Ciceronis mortem, partes in judiciis tenuisse.

[1] Tibull., IV, 1, v. 45.
[2] Suet. *Tiber.*, 70.

Quibus in causis sit versatus, difficile admodum est hodie explanare; nam eorum quos defendit aut insectatus est, vix unius aut alterius nomina Romani scriptores [1] nobis tradiderunt, eaque ignota nihil de causis ipsis edocent. Sic in eo Quintiliani loco, quem supra retulimus, alii *Aufidium*, alii vero *Aufidiam* legerunt, nec appareret utrum ejus causam Messala defenderit an impugnaverit, quum illo verbo *alter* Messala pariter et Sulpicius designetur, nisi alio loco (VI, I, 20) idem Quintilianus dixisset, *Servius Sulpicius contra Aufidiam*. Item Seneca [2] disertissima oratione Pythodorum ab eo defensum docet; Festus [3] etiam tradit eum pro Liburnia oravisse, quamvis hic non de Corvino, sed de Corvinio quodam aut Cornificio agi plures crediderint.

De judiciis hactenus. Coram senatu de vectigalium Asiæ constitutione, de Antonii statuis dixit [4]; utramque orationem sub bellorum civilium finem, post Actiacam pugnam, habitam esse suspicamur.

[1] Sic apud Charisium legimus, p. 80 : « Messala de Antonii statuis ; p. 103, Contra Antonii litteras ; 119, de vetigalium Asiæ constitutione.

[2] *Controv.*, II, 12.

[3] Festus, XX.

[4] Meyer, *Fragm. orat.*, LXXXV.

Sic nullæ supersunt ejus orationum reliquiæ; nomina ipsa ignota nihil per se docent. Sed varia judicia quæ de illo veteres habuerunt intuentibus, non alienum ab re videtur inquirere quod ille potissimum dicendi genus sectatus sit, quæ in illo virtutes eximiæ floruerint, quid plane laudandum, quid vel leviter desiderandum, cui denique ex iis oratoribus, quorum notitia ad nos una cum operibus pervenit, proximus accedere videatur.

Ex illa ad Brutum epistola, cujus paulo ante mentionem jam fecimus, non solum apparet in adolescente Messala magnam eloquentiæ spem fuisse, sed etiam hoc ejus fuisse dicendi genus, quod Ciceroni præ cæteris valde placeret. « Quanquam in hac ipsa (eloquentia) sapientia plus apparet; ita gravi judicio, multaque arte se exercuit in verissimo genere dicendi. Tanta autem industria est, tantumque evigilat in studio, ut non maxima ingenio, quod in eo summum est, gratia habenda videatur ». Sic sapientia, judicio, raris apud adolescentes virtutibus, jam excellebat. His autem verbis, *verissimo genere dicendi*, quid Cicero significet non obscurum est. Suam ipsius eloquentiam indicat, cujus ad exemplar Messala orationem informare conabatur. Neminem fu-

git eo tempore, quo jam Cicero canesceret, quamdam incidisse inter oratores ejus ætatis dissensionem, quorum alii, Ciceronis imitatione contenti, nihil ultra quærerent, alii, inter quos ipse Brutus, in Ciceronis oratione nimiam forsan verborum copiam et redundantiam vituperarent. Itaque Atticos imitati, nimis luxuriantia recidentes ornamenta, magis sobrium dicendi genus consectabantur, quod Cicero interdum jejunitatis et exilitatis arguebat. Messala vero se ad hujus imitationem contulisse, saltem antequam maturitatem attingeret, videtur.

Quæ inventionis aut dispositionis aut actionis laus apud illum fuerit, nec veteres tradiderunt, neque nos vel conjectura dicere possumus; sed de elocutione complures testimonia reliquerunt, qua mirum in modum excellebat. Et in hoc ipso multum illi, ut suspicamur, domestica profuerat consuetudo. « Magni enim interest, ut ait Cicero[1], quos quisque audiat quotidie domi, quibuscum loquatur a puero, quemadmodum patres, pædagogi, etiam matres loquantur. » Sic illis oratoribus in patricia domo natis nescio quid insitæ in dicendo inerat elegantiæ, quam nec plebeii, nec pere-

[1] Cicer., *Brutus*, 58.

grini, vel ingenio maxime adjuti, consequi ullo modo, ulla opera possent. Cæsar puro, vere Latino ac patricio sermone utebatur : haud secus Messala in eloquentia præferebat quodammodo nobilitatem suam[1]. Hæc ejus in primis erat cura, ut purius loqueretur, quam qui maxime. Ovidius ejus eloquii *nitorem illum domesticum* notavit[2].

Verba ipsa summa cum industria eligebat; hoc Seneca testatur[3] : « Fuit Messala exactissimi ingenii in omnes studiorum partes, Latini utique sermonis observator diligentissimus. » Non semel illos risit, qui scholastica aliqua vel peregrina consuetudine corrupti, vitio orationis peccabant. De Porcio Latrone quadam die dixit, quem declamantem audierat, viro acerrimi ingenii, sed qui, utpote Cordubensis, hispanicum aliquem saporem redolebat : « Sua lingua disertus est. » Sic Pollio T. Livium *patavinitatis* arguebat. Seneca addit : « Non tulit hanc contumeliam Latro, et pro Pythodoro Messalæ orationem disertissinam recitavit, quam suasoriam Theodoto declamavit per triduum. »

[1] Quintil., X, 1.
[2] Ovid. *Epist. Pont.*, II, 2, 51.
[3] Senec. *Controv.*, II, 12.

Idem Horatii testimonium, ubi vitium eorum reprehendit, qui mixta verbis latinis græca præter modum admirantur [1],

> Scilicet oblitus patriæ patrisque, latine
> Quum Pedius causas exsudet Poplicola, atque
> Corvinus, patriis intermiscere petita
> Verba foris malis, Canusini more bilinguis ?

Messala græcæ linguæ haud secus ac latinæ doctus, tamen a græcis vocibus inter latinam orationem mixtis prorsus abhorrebat. Non *schænobaten*, sed translato nomine *funambulum* primus dixit.

Hæc igitur erat ejus eloquentia, non quæ magna vi audientium mentes commoveret, aut torrentis instar incitata raperet, sed amœnitate quadam potius ac jucunditate perfunderet. In hoc etiam multorum testimonia consentiunt. A Quintiliano [2] nitidus et candidus dicitur ; a Tacito [3] « Cicerone mitior et dulcior, et in verbis magis elaboratus. » Quæ summa quidem laus est, sed vitio levi proxima, nam viribus minor idem judicabatur, quod iis plerumque accidit, qui nimio circa verba studio laborant, et delec-

[1] Horat. *Sat.*, I, 10.
[2] Quintil., X, 1.
[3] *Dialog. de Orator.*, 18.

tare suavitate malunt, quam affectibus aut vi commovere. Asinius Pollio, quocum de principatu eloquentiæ certabat, ut in verbis eligendis antiquior, in componendis horridior judicabatur, ita inventione et ratione disputandi præstabat.

Hic forsitan non sine utilitate fuerit quem inter veteres oratores imitandum sibi proposuerit commemorare. Illum, quem perpolitum in dicendo Cicero, quem pariter Quintilianus dulcem imprimis et acutum dicit, Hyperidem, non modo multa et assidua lectione cognoverat, sed etiam interdum latine verterat. Quod exercitationis genus Quintilianus[1] præ cæteris utile arbitrabatur : « id Messalæ placuit, multæque sunt ab eo scriptæ in hunc modum orationes, adeo ut etiam cum illa Hyperidis pro Phryne difficillima Romanis subtilitate contenderet. » Unde manifestum est, quas dicendi virtutes voluerit imitatione consequi.

A Cicerone laudatus adolescens, quod verissimum dicendi sectaretur genus, antiquorum amicis et fautoribus valde placebat ; ubi autem Cassius Severus et alii ejus ætati suppares eloquentiam seu inflectere, seu in pejus trahere

[1] *Instit. Orat.*, X, 5.

cœperunt, novi istius generis amatores antiquos aspernari, et hæc ipsa, quæ alii maxime mirabantur, acerrime reprehendere. Laudat ejus principia Quintilianus[1] : « Quædam in his quoque commendatio tacita, si nos infirmos et impares contra agentium ingeniis, qualia sunt pleraque Messalæ procemia. » Vitium potius hoc, si in consuetudinem admodum vertit; nec frequentiora hujus generis exordia magis apud Messalam probari debent, quam apud Curionem, semper ab excusatione ætatis incipientem, a Cicerone probabantur, per jocum dicente : « hunc facilius quotidie procemium habere. » Apro potius assentimur[2] : « Quis nunc ferat oratorem de infirmitate valetudinis suæ præfantem, qualia sunt fere principia Corvini ? »

Attamen idem ille Aper hujus judicii severitatem paulo post ipse minuit[3]. « Nolo Corvinum insequi, quia nec per ipsum stetit quominus lætitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret; videbimus, in quantum judicio ejus vis aut animi aut ingenii sufficeret, » quasi novam illam eloquentiæ formam, quam

[1] Quintil., IV, 1.
[2] *Dialog. de Orat.*, 20.
[3] *Id.*, 21.

Aper unam mirabatur, Messala secum animo jam prævidisset, sed ab æqualium consuetudine deflectere aut non ausus fuisset, aut propter novitatem rei quantum erat in voluntate non potuisset. Inter utrosque medius sic illis placuit, ut ab his tamen veniam impetraret.

Proximum eloquentiæ studium declamationis, in quo tum plerique oratores seu latina seu etiam græca lingua exercebantur. Controversiæ enim, vel suasoriæ, quæ ante Ciceronem *theses*[1] græco nomine, a Cicerone *fictæ causæ* vocabantur, non modo a rhetorum discipulis exercitationis causa declamari solebant, sed ab egregiis et jam ætate provectis oratoribus tractari. Paucis ante interitum mensibus, cum Hirtio et Pansa tum consulibus, quos grandes discipulos vocabat, Cicero per otium declamabat. Nondum hæc erat consuetudo, quæ noceret, quoniam nonnisi raro et per intervalla, dum a foro aut curia vacarent, veris causis et pulveri solique assuefacti oratores in fictarum litium disputatione requiem tantum et relaxationem animi quærerent. Imo aliqua inerat utilitas, quum in rebus minus occupati,

[1] Senec. *Controv. præfatio.*

verba aptius eligere possent, elegantius componere, et quamdam magis elaboratam artem, politius dicendi genus, inde ad vera judicia transferre.

Res deinde in vitiosam consuetudinem vertit. Muto et elingui senatu, silente foro, aut humiles modo privatorum causas audiente, quum nullum locum se dignum reperirent, ubi veræ atque amplæ eloquentiæ libere vela panderent, in scholis inclusi multi oratores, fictis controversiis omnem ingenii vim et aciem consumpserunt. Unde falsum dicendi genus, nimium acumen, amplificatio, subtilitas, omnia denique scholastica vitia, quæ declamationis illud verbum secum etiamnunc trahit, quæque ex controversiis aut suasoriis brevi in omne litterarum aut carminum genus velut ex contagione transmissa sunt. Sed non res extemplo in deterius processit. Senescente demum Augusto, quum pauci admodum superessent, qui veræ eloquentiæ memoriam ac leges retinuissent, quum pacata omnia, ac præter scholas rhetorum silentia, pestis illa declamationis omnia invasit et corrupit.

Interfuisse illis auditoriis Messalam, simul cum Augusto, Agrippa, Mæcenate, cum omnibus qui litteras colerent, et eloquentiæ vel

falsæ amorem profiterentur, Seneca rhetor tradit, testis de illorum temporum studiis locupletissimus. Sed orator illos circulatores, Romanus ac patricius illos fere peregrinos, puri sermonis amator illos corrupti judicii viros adeo non probabat, ut sæpe contra reprehenderet, sicut jam de Porcio Latrone retulimus. Sæpe quidem auditor, nunquam ipse fictas causas videtur declamavisse, ut qui veris contentus esset; in hoc etiam Pollioni dissimilis, qui sæpe in istius modi exercitationibus ipse verba fecit.

Recitandi consuetudo simul processerat. Novum illud declamationis genus, quod Pollio promoverat, etiam Messala fovit. Nondum suspicari quisquam poterat, quod in vitium postea et flagitium degeneraret. Recitantibus igitur Messala domum suam libenter præbuit. « Sextilius Hena[1] fuit homo ingeniosus magis quam eruditus, inæqualis poeta, et pæne quibusdam locis talis, quales esse Cicero Cordubenses poetas ait, pingue quiddam sonantes atque peregrinum. Is hanc ipsam proscriptionem (Ciceronis) recitaturus in domo Messalæ Corvini,

[1] Senec. *Suasor.*, 7.

Pollionem Asinium advocaverat, et in principio hunc versum non sine assensu recitavit :

Deflendus Cicero est, Latiæque silentia linguæ.

Pollio Asinius non æquo animo tulit, et Messalam allocutus : « tu quid tibi liberum sit in domo tua videris ; ego istum auditurus non sum, cui mutus videor. » Atque ita consurrexit, ne interesset recitationi eorum. »

CAPUT V

Messalæ studia poetica.

Messala, quum poetarum esset amicus, consuetudine atque exemplo poeta ipse factus est; nonnulla adhuc exstat ejus carminum memoria. In leviorum artium studio Plinius delectationem interdum quærebat [1]; versiculos amabat parum severos, ut ipse fatetur, imo eroticos, et minuendæ culpæ causa, quod sæpius jocaretur, doctissimos, gravissimos, sanctissimos homines nominabat, quorum exemplo excusaretur: « Ego vereor, ne me non satis deceat, quod decuit M. Tullium, C. Calvum, Asinium Pollionem, M. Messalam, Q. Hortensium, et complures alios insignes viros, » quorum instar hendecasyllabos composuerat.

Aliud etiam noster genus poeseos attigit, ut testatur non Virgilius ipse, sed carminis, quod inter catalecta Virgilii undecimum refertur, auctor ignotus. Ibi laudatur Messala, « magni

[1] Plin. *Epist.*, V, 3.

magnum decus ecce triumphi, » quem post debellatum una cum barbaris sociis Antonium Cæsar egerat; addit etiam poeta[1]:

Pauca tua in nostras venerunt carmina chartas,
Carmina cum lingua, tum sale Cecropio,
Carmina quæ Pylium, sæclis accepta futuris,
Carmina quæ Pylium vincere digna senem.

De hujus carminis græci, cui æternum honorem laudator pollicetur, seu genere seu materia sequentes versus pauca nos docent. Scilicet carmen amœbeum erat, Theocriti ad exemplar conditum, quale inter Virgilii Bucolica reperitur :

Molliter hic viridi patulæ sub tegmine quercus
Mœris pastores et Melibœus erant,
Dulcia jactantes alterno carmina versu,
Qualia Trinacriæ doctus amat juvenis.
Certatim ornabant omnes heroida divæ,
Certatim divæ munere quæque suo.
Felicem ante alias tanto scriptore puellam!
Altera non fama dixerit esse prior.

Quæ sub heroidis nomine puella lateret, multi quæsiverunt. Pro comperto prope habetur Sulpiciam designari, oratoris Servii Sulpicii[2] filiam, cujus mater Valeria e Messalarum gente erat oriunda[3].

[1] Virgil., *Catalecta*, XI, v. 13.
[2] Vide supra, p. 68.
[3] Teuffel. *Röm. Litterat.*, 242, 3.

Certe illam Sulpiciam Messalæ placuisse hoc quarti Tibulliani libri [1] versu docemur:

Jam, nimium Messala mei studiose, quiescas.

Sed nimium studiosi amantis opera periit: alter, poetico nomine Cerinthus, revera forsan Cornutus [2], omnem puellæ animum, omnes curas et cogitationes ad se converterat. Sed de poeticis Messalæ operibus hactenus, ejus enim laudi ac memoriæ sua minus quam aliorum carmina profuerunt.

Multi illis temporibus scriptores alicujus patricii viri non solum amici, sed clientes erant. Humiliore loco plerumque nati, quidam liberti aut e libertis oriundi, ubi tum poterant, nisi apud summos illos in republica viros, utile auxilium, et, si non amplas divitias, saltem honestam quamdam fortunarum mediocritatem reperire? Sed pauci plures in clientela poetas habuisse videntur, quam Messala contraxit, qui cum omnibus pæne conjunctus, quosdam sibi uni proprie deditos usque retinuit. Pollionis, Mæcenatis, Augusti, par erat apud Virgi-

[1] Tibull., IV, 8.

[2] In Tibulli codicibus manuscriptis (*Eleg.* II, 2 et 3) pro *Cerintho Cornutus* legitur; unde conjectura orta est. Teuffel, *Studien und Charakter.*, p. 365.

lium gratia; multi fuerunt Horatii sodales aut potentes amici, ad quos familiares epistolas mitteret aut quibus carmina dedicaret. Tibullus vero, cujus a memoria Messalæ nomen dissociari non potest, non modo longa et fideli amicitia illum præter cæteros est prosecutus, sed unum e claris illius sæculi viris Messalam cecinit, ne Augusti quidem mentione facta, quem hand scio an inter æquales poetas solus silentio contumaci prætermiserit.

Initium ejus consuetudinis, ut videtur, anno 723/31 factum est. Tunc primum quarti libri carmen, sive, ut vulgo dicitur, Panegyricum, ignotus, ultra vicesimum annum [1] jam paulo

[1] Tertii libri versus *Natalem primo nostrum....* falsis conjecturis initium dederant. Superest Ovidii testimonium, *Trist.*, IV, 10, v. 51.

Virgilium vidi tantum, nec avara Tibullo
Tempus amicitiæ fata dedere meæ.
Successor fuit hic tibi, Galle, Propertius illi;
Quartus ab his serie temporis ipse fui.

Sic inter annos 685/69, quo Cornelius Gallus natus est, et 708/46, quo Propertius, Tibulli natalem annum includamus necesse est. Adde illud Domitii Marsi epigramma :

Te quoque Virgilio comitem non æqua, Tibulle,
Mors comitem campos misit ad Elysios,

de quo eruditi ita disputaverunt, ut quot annos natus obiisset Tibullus, assequerentur. Sic eum Dousa anno 690/64 natum opinatus est, Vossius 695/59, Ayrmannus 705/49, inter quos medii Paldamus, Dissennius, Gruppius, W.-S. Teuffelius, annum 700/54 elegerunt; quibus nos assentimur.

provectus, et summi alicujus patroni tutelam, ut mos est, requirens, Messalæ dedicavit, tum consuli :

Nam modo fulgentem Tyrio subtemine vestem
Indueras, oriente die duce fertilis anni.

Equestri loco natus poeta paternas divitias partim amiserat [1].

Nam mihi, quum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flavi ditantes ordine sulci
Horrea, fecundas ad deficientia messes,
Cuique pecus denso pascebant agmine colles
(Et domino satis, et nimium furique lupoque),
Nunc desiderium superest, nam cura novatur,
Quum memor anteactos semper dolor admonet annos.

In illa scilicet Italiæ calamitate, quum veteranis agros Octavianus largiretur, communi cum Virgilio et Horatio sorte perculsus, magna patrimonii parte exutus est. Idcirco totum se Messalæ tradere videbatur, laudatisque ejus bellis, laudata eloquentia, fidum se comitem et clientem in æternum polliceri.

Sic in amicitiam viri venit, quocum utrum apud Actium eodem illo anno militaverit, incertum est. Sequenti anno, aut non multo post, ut jam narravimus, quum in Orientis provin-

[1] Tibull., IV, 1, v. 183.

cias Messala cum imperio navigaret, secum Tibullum, proposita rei familiaris amplificandæ occasione, itineris potius quam periculi socium voluit abducere. Sed in amore totus poeta, omissa divitiarum cura, bellum aversabatur [1]:

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus, et vere ferreus ille fuit!

promissæ fidei jam immemor, quippe qui paulo ante jam scripsissset [2].

Pro te vel rapidas ausim maris ire per undas,
Adversis hiberna licet tumeant freta ventis;
Pro te vel densis solus subsistere turmis.

Paulo post, quum Messala Aquitanicum bellum gereret, secum habuit Tibullum; narrat ipse vates [3]:

Non sine me est tibi partus honos; Tarbella Pyrene
Testis, et Oceani littora Santonici;
Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna,
Carnuti et flavi cærula lympha, Liger.

Imo addit vitæ Tibulli auctor ignotus, præmiis eum militaribus ob virtutem fuisse donatum, unde colligimus, non semper militiæ pigros esse et malos qui musis student, licet

[1] Tibull., I, 1, 2, 3, 10.
[2] Tibull., IV, 1, v. 193.
[3] *Id.*, I, 7, v. 9.

poetico more se ab armis abhorrere plerumque simulent [1];

Nunc ad bella trahor, et jam quis forsitan hostis
Hæsura in nostro tela gerit latere.

Messalæ beneficio alium etiam ex illis stipendiis fructum percepit : paulo post Horatius ad eum scribebat [2] :

Di tibi divitias dederunt.

Sic omni alia omissa cura in otium cum imperatore et patrono suo secessit, Musis tantum et voluptatibus deditus. Amplam illi pro tot erga se beneficiis gratiam persolvit. Vix Aquitanico bello confecto, natalem ejus diem simul ac triumphum celebrabat [3].

Hunc cecinere diem Parcæ fatalia nentes
Stamina, non ulli dissolvenda deo.

Pari amore ejus filios coluit, quorum unus, Messalinus, quum in collegium quindecimvirorum sacris faciundis et inspiciendis libris Sibyllinis esset cooptatus (nam sacerdotium, ut diximus, Messalarum genti quasi hereditate debi-

[1] Tibull., I, 10, v. 13.
[2] Horat., *Epist.*, I, 4.
[3] Tibull., I, 7.

tum tribuebatur), non poterat vates, quin festum hunc diem caneret, juvenique prospera omnia et patre digna precaretur [1] :

Phœbe, fave; novus ingreditur tua templa sacerdos;
Huc, age, cum cithara carminibusque veni.

His versibus verum aliquid et sincerum inesse sentimus, ut laudes non ad poeticum ornatum fictæ, sed vera caritate profectæ videantur. Eadem inter Messalam et Tibullum jucunda consuetudo fuit, quæ inter Mæcenatem et Horatium, quum poeta, sine fœda adulatione laudator, sine turpi obsequio amicus, nobilitate quidem aut opibus minór, sed ingenio clarus, apud principem in civitate virum

[1] Tibull., II, 5.

Messala duos filios genuit, quorum alter M. Valerius Messalinus a Velleio præclare laudatur (II, 112). « Vir animo etiam » quam gente nobilior, dignissimus qui et patrem Corvinum » habuisset, et cognomen suum fratri relinqueret, præpositus » Illyrico, subita rebellione cum semiplena legione vicesima cir- » cumdatus hostili exercitu, amplius viginti millia hostium fudit » fugavitque, et ob id ornamentis triumphalibus honoratus est. » Is anno 751/3 consul fuit. Alter Lucius, Aureliæ genti in adoptionem datus, L. Aurelius Cotta Messalinus Volusus dictus est : hic Dalmatas quidem non vicit, sed alio genere laudis inclaruit; nam, ut narrat Plinius (*Hist.*, X, 37), primus Romæ palmas pedum ex anseribus torrere atque patinis cum gallinaceorum cristis condire cœpit. Ceterum, ut narrat Tacitus (*Annal.*, V, 3) atrocis cujusque sententiæ in senatu auctor promptissimus, et Tiberii adulator (*Annal.*, II, 32). Utri nunc Tibullus gratuletur, in incerto est. M. Valerium potius crediderim.

illa familiaritate, quæ modo inter pares exsistere honesta potest, libere frueretur. Sic modicum Horatii hospitium Mæcenas non aspernabatur : sic Tibullus divitem amicum in Pedano suo simpliciter excipiebat [1] :

Huc veniet Messala meus, cui dulcia poma
Delia selectis detrahet arboribus ;
Et, tantum venerata virum, hunc sedula curet,
Huic paret, atque epulas ipsa ministra gerat.

In hoc poetico cœtu, cui Messala domum aperuerat, præcipuus sane Tibullo locus a posteris assignatur ; nam eorum qui parem apud æquales famam erant adepti, nomen modo cum quadam obscura operum memoria superfuit. Ex illo Tibulli versu (II, 6): *Castra Macer sequitur*, inter eos fuisse Æmilium Macrum Veronensem constat, qui didactici generis quædam carmina composuit [2], Nicandrum secutus ;

Sæpe suas volucres legit mihi grandior ævo
Quæque necet serpens, quæ juvet herba, Macer,

et inter præcipuos hujus operis poetas a Quintiliano nominatur.

[1] Tibull., I, 5, v. 31.
[2] Ovid., *Trist.*, IV, 10, v. 43.
[3] Quintil., VI, 3, 96. — X, 1, 87. — XII, 11, 27. Teste Eusebio, anno 739/15 in Asia mortuus est.

Similiter Valgius Rufus, Horatii amicitia notus [1], et qui anno 742/12 consul fuit, jam inter Messalæ familiares erat, et optimam de se spem Tibullo præbuerat adolescens [2] :

Non ego sum satis ad tantæ præconia laudis,
Ipse mihi non si præscribat carmina Phœbus.
Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus
Valgius, æterno propior non alter Homero.

Inaudita laus quidem, ultra quam poetis concessum est, et qualem temere tribuit nimius quum in admiratione, tum in reprehensione juvenis. Epicum tamen ille genus non attigit; sed in vario litterarum genere inclaruit. Nam non modo de arte grammatica scripserat epistolas, Apollodorum Pergamenum latine verterat, libros ad Augustum de salutaribus herbis dedicaverat, sed epigrammata ejus et elegiæ laudabantur : quæ fuit causa cur istius modi carmina, Virgilii nomine falso inscripta, Valgii revera esse quidam apud recentes crediderint.

Sed omissis iis de quibus incertæ conjecturæ, rara testimonia, illos spectemus potius, quorum amplior et certior memoria cum ipsis carminibus ad nos pervenit.

[1] Horat., *Od.*, II, 9.
[2] Tibull., IV, 1, v. 179.

Illa Sulpicia, quam hercidis nomine Messala frustra cecinit, tam lepidos versus, quum Cerinthi amore flagraret, ipsa composuit, ut poetica virtute admodum præditam eam omnes posteri judicaverint. Profecto elegidiorum, quæ in quarto Tibulli libro servata sunt, non ea erat materia, ut palam recitarentur, nec sine quodam rubore, quanquam « peccasse juvat », Servii Sulpicii filia palam dixisset [1] :

Exsolvit promissa Venus; mea gaudia narret,
Dicetur si quis non habuisse suam.

Sed venustam hanc poeseos virtutem, quam a patre forsan acceperat [2], in narrandis secreti amoris deliciis totam profecto Sulpicia non impendit. Alios sane condiderat versus, nobis nunc ignotos, quos libere coram Messala et amicis recitaret.

Antequam de Tibullianis libris dicendi finem faciamus, pauca de carminibus addenda sunt quæ illi olim tributa, nunc etiam inter ejus elegias vulgo leguntur. Tertium librum dico,

[1] Tibull., IV, 7.

[2] Inter gravissimos illos et sanctissimos viros, qui carmina erotica olim scripserant, Serv. Sulpicius quidam a Plinio (*Ep.*, v. 3) nominatur. Oratorem, de quo jam diximus, hic designari pro comperto fere habetur. Quo patre, parum severo, dignam Sulpicia se præstitit.

in quo sex elegiæ non Deliam aut Nemesin, sed Neæram a Lygdamo amatam laudant. Hujus Lygdami sub nomine revera Tibullum latere et sua ipsius gaudia, suos dolores exprimere grammatici diu crediderant. Nunc quamvis imitatio satis per se sit manifesta, inter illas elegias et versus vere a Tibullo conditos tantum interest, ut qui hoc contendat nemo jam inter recentioris ætatis scriptores reperiatur. Ovidium *Gruppius* conjecit, a *Teuffelio* plane refutatus, alii Valerium Messalinum, nostri Messalæ filium, alii alium; quod ut argumentis in utramque partem explicatis fusius disseramus, ad rem non pertinet; nam in hoc tertio libro nusquam Messalæ mentio incidit. Quam familiariter apud eum vixerit Lygdamus, nihil nos docet. Non eorum tamen poetarum in numero fuisse, qui genere, conditione vitæ humiles, nobili aliquo patrocinio egerent, ex hoc suspicari licet, quod nihil in adulationem compositum reperimus. Ficto illo nomine vir Romanus utitur (I, v. 2), forsan patricius (VI, v. 60) qui palam et libere amores suos proferre sane indecorum credidisset. Ceterum ad hunc poeti-

[1] W. S. Teuffel. *Studien und Charakt.*, 373, 383.

cum Messalæ cœtum[1], de quo loquimur, illos Lygdami versus pertinere hoc tantum probat, quod Tibullianis elegiis mixti ad nos pervenerint.

Inter Tibulli imitatores etiam haberi potest, qui elegiam scripsit inter Catalecta Virgilii undecimam. Auctor ignotus; nam in conjectura, qua alii Lygdamum, alii Valgium Rufum suspicati sunt, nihil nisi leve et incertum. Nimiæ adulationis eum plerique arguerunt; de Actiaco triumpho præfatus, Messalæ versus laudat, in honorem Sulpiciæ compositos, tum ipsius Sulpiciæ formam et ingenium, et ad Messalam reversus, ejus avos quum bellica laude, tum civili præstantes[2] :

Castra foro solitos, urbi præponere castra.

nescio quid hic illiberale, ne servile dicam; obsequium humilis et pauperis clientis est; fabulosa autem ornamenta præter modum adhibita novi poetæ docent hoc esse tirocinium.

[1] Aliter L. Bollio videtur, qui in dissertatione inaugurali de *Lygdami Carminibus* (Detmoldæ, 1872) carmina illa « non solo amore duce » scripta, sed a docto quodam homine in imitationem Tibulli, *post Ovidii et Messalæ mortem*, composita et Tibullianis libris inserta contendit. Quam novam conjecturam non satis certis, ut opinor, argumentis probavit.

[2] Virgil. *Catalect.*, XI, v. 43.

Seni autem non immerito Ciris imputatur : auctor ipse probat, qui se dicit

Vario jactatum laudis amore.
Irritaque expertum fallacis præmia vulgi.

Philosophiæ imprimis deditus, interdum juvenile Musarum studium repetit, et Messalæ filio, quem juvenem doctissimum appellat, longum poema dedicat, ad instar modo Catulli, modo Virgilii compositum.

Hæc tamen interea, quæ possumus, in quibus ævi
Prima rudimenta et primos exegimus annos,
Accipe dona meo multum vigilata labore,
Promissa atque diu.... [1]

Nihil ultra reperitur, quod nos seu de scriptoris nomine et vita, seu de scripti carminis tempore amplius edoceat. Sed ex illo procemio, ut ex totius operis forma et natura, manifestum est non modo poetam ab illis quos hactenus memoravimus plane differre, sed in Messalæ domo tantum Musarum honorem fuisse, ut ipsi philosophi vel inviti carmina condere coacti sint.

Superest Ovidius, qui ejusdem domus hospitio, eo circiter tempore (735/19), quo Tibullus

[1] *Ciris*, v. 44.

diem obiit, frui cœperat adolescens. His enim versibus queritur[1] quod consuetudinem cum illo jungere, propter præmaturum interitum, non potuerit :

Virgilium vidi tantum, nec avara Tibullo
Tempus amicitiæ fata dedere meæ.

Poetica laude jam insignis (adolescentulus enim, ut ipse testatur, coram audientibus recitare cœperat), non poterat quin Messalæ valde gratus esset et acceptus, adeo piis laudibus Tibulli mortem erat prosecutus :

Memnona si mater, mater ploravit Achillem....
Flebilis indignos, Elegeia, solve capillos.[2]

Inita illis temporibus amicitia ad supremum Messalæ diem duravit, nam e Ponto ad Messalinum scribebat Ovidius[3] :

Nec tuus est genitor nos infitiatus amicos,
Hortator studii causaque faxque mei,
Cui nos et lacrimas, supremum in funere munus,
Et dedimus medio scripta canenda foro.

et in quarto Tristium libro[4], iisdem prope verbis :

[1] Ovid., *Trist.*, IV, 10, v. 51.
[2] Ovid. *Amor*, III, 9.
[3] *Ep. Pont.*, I, 7, v. 27.
[4] Ovid. *Trist.*, IV, 4, v. 27.

Nam tuus est primis cultus mihi semper ab annis
(Hoc noli certe dissimulare) pater :
Ingeniumque meum, potes hæc meminisse, probabat,
Plus etiam, quam me judice dignus eram ;
Deque meis illo referebat versibus ore
In quo pars altæ nobilitatis erat.

A patre ad filios amicitia Ovidii traducta est; nam præter elegias, quas paulo ante retulimus, eidem Messalino Epistolam, II, 2, ejusque fratri Cottæ Epistolam III, 2, dedicavit.

Horatium nondum attigimus ; ille, licet cum Messala conjunctus, alios amicos potiores habuit, nec tam familiariter eo quam Mæcenate aut ipso Cæsare usus est. De Messala tamen interdum loquitur; egregius enim vates egregium litterarum amatorem silentio prætermittere num potuisset, quum nullus prope sit inter insignes ejus ætatis viros de quo mentionem non fecerit? Præter loca, quæ jam notavimus, ubi viri eloquentiam laudat, alia etiam occurrunt. Sicut Tibullo, quem candidum sermonum suorum judicem appellabat, ita Messalæ se placere velle profitetur Horatius, quum ineptos aut asperos censores notat, quorum judicium nullius ponderis habendum est[1].

Satis est equitem mihi plaudere, ut audax,
Contemptis aliis, explosa Arbuscula dixit.

[1] Horat. *Sat.*, I, 10, v. 76.

Men'moveat cimex Pantilius? aut crucier, quod
Vellicet absentem Demetrius? aut quod ineptus
Fannius Hermogenis lædat conviva Tigelli?
Plotius et Varius, Mæcenas Virgiliusque,
Valgius, et probet hæc Octavius optimus, atque
Fuscus, et hæc utinam Viscorum laudet uterque!
Ambitione relegata, te dicere possum
Pollio; te, Messala, tuo cum fratre, simulque
Vos, Bibule et Servi; simul his te, candide Furni,
Complures alios.....

Plus etiam docebit notum Horatii carmen ad amphoram, nempe consularem virum hospitio poetæ interdum gaudere, nec modicas ejus mensas aspernari [1].

O nata mecum consule Manlio....
Quocumque lectum nomine Massicum
Servas, moveri digna bono die,
Descende, Corvino jubente
Promere languidiora vina.

Quam comiter, et omni tristitia aut superbia procul, his paucorum conviviis interesse solitus fuerit, sequentes etiam versus probant :

Non ille, quanquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus :
Narratur et prisci Catonis
Sæpe mero caluisse virtus.

Hi Messalæ clientes, hi amici fuerunt: multos quidem alios illis temporibus exstitisse

[1] *Od.*, III, 21.

scriptores, qui domum ejus frequentaverint, existimandum est, sed cum ipsis operibus vel nominum memoriam periisse. Quæ autem veterum testimonio servata sunt, et recensere sumus conati, jam satis amplum et firmum conjecturæ locum præbent.

Quos instar Mæcenatis Messala secum poetas habuit, illi quidem neque numero neque ingenio contemnendi sunt, quamvis Virgilii, Varii et Horatii, qui cum Mæcenate conjunctissimi vixerunt, nomina gloriæ cæterorum officiant. Inter poeticos illos cœtus hoc præsertim interest, quod, quum Mæcenatis amici et hospites libertatem amissam nullo desiderio prosequerentur, neque ullum Augusti laudandi tempus prætermitterent, Messalæ clientes, et ipse Messala, liberius aliquid et civilius spirare viderentur. Unum etiam subjici potest: apud Mæcenatem omnia carminum genera, vel maxime inter se distantia, colebantur et summa laude floruerunt. Messalæ vero domus, ut notum illud Ciceronis de Isocrate [1] verbum usurpemus, quasi ludus quidam et officina elegiæ litteris latinis patuit.

[1] Cicer. *Brutus*, 8.

EPILOGUS

Inter has illustrium poetarum amicitias, inter hæc honesta litterarum studia Messala consenuit. Ejus de morte panca tradidit Eusebius: « Ante biennium quam moreretur, ita memoriam ac sensum amisit, ut vix pauca verba conjungeret, et ad extremum ulcere sibi circa sacram spinam nato inedia se confecit anno ætatis septuagesimo secundo. » Item sui nominis eum oblivionem cepisse Plinius[1] testatur; illud vero nomen omnes Romani litterarum studiosi grato animo meminerant.

De filiis ejus jam diximus, quorum alter debellatis Illyriis, paterna laude dignum se præstitit, alter magis luxu videtur quam rebus gestis inclaruisse. Inter nepotes unus contra Claudium[2] inita conjuratione, contumaciæ

[1] Plin., *Hist.*, VII, 24.
[2] Sueton., *Claud.*, 13. Conspiraverunt autem ad res novas Gallus Asinius et Statilius Corvinus, Pollionis ac Messalæ oratorum nepotes.

pœnas dedit : ex quo tempore Messalarum domus, bonis, ut videtur, publicatis, paupertate laboravit. Nam apud Tacitum [1] legimus : « Nerone tertium consule, simul iniit consulatum Valerius Messala, cujus proavum, oratorem Corvinum, divo Augusto, abavo Neronis, collegam in eo magistratu fuisse pauci jam senum meminerant : sed nobili familiæ honor auctus est, oblatis in singulos annos quingenis sestertiis, quibus Messala paupertatem innoxiam sustentaret. » Illum etiam Corvinum qui conductas oves, teste Juvenali [2], in agro Laurenti pascebat, inter ejusdem nepotes fuisse satis per se verisimile est ; rem vero, quoniam ad propositum nostrum non pertinet, ancipitem relinquamus.

Non sine fructu forsan fuerit illius viri vitam narravisse, qui sive in republica, sive in litteris, nulla quidem mira et singulari virtute ita eminuit, ut inter pauca illa gloriæ immortalis ingenia numeretur, variis autem animi dotibus, haud secus ac nobilitate generis et dignitate vitæ, honestum inter æquales locum adeptus est. Illum vitæ integritas et sincerus amor stu-

[1] *Annal.*, XIII, 34.
[2] Juven. *Sat.*, I, 108.

diorum satis apud posteros commendat. Simul ejus vitæ cursu docemur quam bene beateque, etiam post amissam Romæ libertatem, Augusti sub principatu vivere licuerit iis, qui nondum servire didicerant. Sequenti vero ætate pauci ejus generis viri supererant. Dominatio in gravius cecidit; utque paulatim vita excedebant cives meliore reipublicæ tempore nati, ita evanuit apud Romanos sine contumacia libertas, apud principes modestia. Impune fuit Messalæ, quod erga Augustum libere se gessisset; mox prodigio par facta est *cum nobilitate senectus.*

APPENDIX I.

Si Eusebio credimus, Cæsare et Bibulo consulibus, anno urbis 695/59, Messala natus est. In chronicis enim libris Hieronymi, quos Eusebius latine vertit, hoc legitur (*Olympiad.* CLXXX. ann. 2) : « Messala Corvinus nascitur et T. Livius Patavinus scriptor historicus. »

De morte ejusdem paulo infra reperimus (*Olympiad.* CXCVII ann. 2) : « Messala Corvinus orator ante biennium quam moreretur ita memoriam ac sensum amisit, ut vix pauca verba conjungeret, et ad extremum ulcere sibi circa sacram spinam nato inedia se confecit anno ætatis LXXII. »

Huic autem testimonio non sine causa diffidimus. Primo quidem secum minime constare Eusebium patet : inter enim illos fines, quibus Messalæ vitam circumscribit, septuaginta modo annorum spatium interest. Unde necesse est, ut aut breviorem ejus vitæ cursum fuisse exis-

timemus, aut, quod ad initium vel finem pertinet, errorem aliquem incidisse.

Si hoc unum ageretur, ut quæ in Eusebii ratione secum repugnant explanaremus, eo loco ubi de Messala ultima incidit mentio, non ejus mortis tempus, sed morbi singularis, quo biennio ante mortem affectus est, initium relatum esse forsan conjectura suspicaremur. Non ideo tamen Eusebii verba cum cæteris veterum scriptorum testimoniis aptius congruerent.

Proscriptum a triumviris Messalam, quamvis nondum septemdecim annos explevisset, jam causa est cur miremur. Quod enim eorum dominationi periculum hujus adolescentuli incolumitas attulisset? At enim in omnes juxta sævitum est, quicumque illis temporibus nobilitate, virtute, rebus gestis aut amore patriæ eminerent. Fatemur. Illa vero ætate, extrema prope pueritia, nondum Messala, nisi spe, erat insignis. Quid de triumviris meruerat?

Item quum apud Philippos supremum illud certamen Romana libertas edidit, electum a ducibus duodevicesimo ætatis anno Messalam, qui et validissimam legionem (τὸ μαχιμώτατον τῶν ταγμάτων) et dextrum cornu regeret, num verisimile est? Gravissimum illud munus, cui præfectus est, nonnisi militaribus viris committi

solitum fuisse quum omnes rerum Romanarum scriptores docent, tum præcipue, quod ad hanc pugnam Philippensem attinet, Plutarchus, apud quem legimus (c. 40): « Brutus contendebat ut in dextro cornu Cassius insisteret, cui ducendo ille propter rei militaris experientiam et ætatem magis idoneus erat. Cassius vero noluit, et Messalam, qui validissimæ legionum præerat, in dextro cornu jussit insistere. » Quanquam non fugit Horatii Flacci posse exemplum objici, qui non splendidis, ut Messala, natalibus et triumphali domo, sed libertino patre natus, in eodem illo exercitu tribunus militavit. Sed longe aliud est uni aut alteri cohorti, aliud decem unius legionis cohortibus præesse. Messala, si cum Eusebio consentimus, quatuor annis minor, quam Horatius, erat; vix prætextam togam nuper exuerat, quum alter vere vir haberetur.

Quomodo fit igitur ut illa ætate vix militari, qua nondum Pompeius Magnus, nondum ipse Octavianus imperaverat, non modo inter omnes electus sit Messala, qui difficile imprimis munus expleret, sed etiam a Velleio Paterculo dictus sit « Proximus in illis castris Bruti Cassiique auctoritati? » Quomodo etiam, post voluntariam utriusque mortem, tot reperti sunt in

exercitu profligato milites qui ducem eum ultro deposcerent?

Probabiles modo causas, quæ minuere fidem Eusebii videntur, hactenus attigimus, Nunc ad argumenta certiora transeamus.

Ovidius quum e Ponto epistolam (I. 7) ad Messalinum nostri Messalæ filium scriberet, ita loquebatur (v. 27) :

Nec tuus est genitor nos infitiatus amicos,
Hortator studii causaque faxque mei;
Cui nos et lacrimas, supremum in funere munus,
Et dedimus medio verba canenda foro.

Ex hoc loco plane apparet ante jam decessisse Messalam, quam Ovidius in terram pœnæ suæ proficisceretur. Quid enim scripta medio foro canenda significarent, quæ funebris laudatio pro rostris fuisset, quum ad extremos imperii Romani fines poeta relegatus ne mortis quidem nuntium nisi longo post intervallo, et jam prope finem habente luctu, potuisset accipere? Ovidio quis annus exsilii fuerit, in dubium non venit. Nam quo anno Augustus e vita cessit, 767/14 post Christum, ipse poeta scribebat (*Ep. Pont.*, IV, 13, v. 40). « Sexta bruma relegatum videt ». Quum igitur constet sub finem noni post Christum anni, U. C. 762, poetam Roma excessisse, ante hoc tempus

mortuum esse Messalam certo testimonio docemur.

Illa Ovidii auctoritate fretus, Eusebii rationem optime, ut opinor, Wiesius (p. 43) refellit. Quæ autem de natali Messalæ anno idem conjecit, non tam placent.

Suetonium et Tacitum in testimonium vocat: « ... Huic rationi vehementer adversantur » quæ in dialogo de Oratoribus Tacitus habet: » Corvinus in medium usque Augusti princi- » patum, Asinius pæne ad extremum duravit. » » Si jam ex recepta ratione annum urbis 725 » statuimus, a quo imperium inierit Cæsar » Augustus, mortis 767, ipsius principatus » quadragesimum quartum, tantum abest ut in » medium ejus imperium incidat Messalæ obi- » tus, ut cum Asinio ad extremum pæne Au- » gusti principatum eum vixisse accipere co- » gamur..... Tacito tamen ut majorem fidem » habeamus et frequentes Hieronymi errores » postulant, et quod hoc eodem loco de Asinio » Pollione rectissime disputavit. Quin collo- » quentium unus, qui ex ipsa Messalarum » familia originem habet, cognomine Vipsta- » nus, si per errorem istam de Corvino sen- » tentiam prodidisset Aper, facile eum refutas- » set..... Igitur ex nostris rationibus hoc

» mortis tempore constituto, anno circiter
» 752, quando septuaginta duorum annorum
» ætatem attigit Messala, non anno 695 natus
» est, sed circa annum 680. Unde fit ut in Phi-
» lippensi prælio annum agens tricesimum alte-
» rum potiore jure fulgentissimus juvenis
» appellatus sit, quam si septemdecim demum
» annos natus fuisset..... Præterea pulchre
» his conveniunt quæ apud Suetonium legi-
» mus [1], Tiberium quidem adolescentem Mes-
» salam senem observavisse. Nam Tiberius
» anno 712 natus est, Munatio Planco et
» M. Æmilio Lepido coss., ubi si ætate illa
» inferiore demum constitutus fuisset Messala,
» senis ejus institutione uti non potuisse juve-
» nem Tiberium nemo non videt ».

Quominus Wiesio assentiamur, causæ non desunt.

Repugnat ipse secum Wiesius, qui, dum Eusebii sententiam repudiat natalem annum Messalæ et mortem indicantis, ejusdem Eusebii testimonio, quod ad vitæ certum spatium attinet, utitur.

Gravis quidem Suetonii auctoritas. Inter hæc verba *adolescentem* et *senem* tantum interest,

[1] Suet. *Tiber.*, 70. « In oratione latina secutus est Corvinum Messalam, quem senem adolescens observaverat. »

ut triginta prope annorum spatium incidisse suspicemur. Neque enim hic post vicesimum annum dici adolescens potest, neque ille ante quinquagesimum senex. Ut autem nostra ratio fert, circiter quinque et viginti anni intererant, quod plane satis esse credimus, ne cum Suetonii testimonio repugnare judicemur. Nam illa scriptoris verba *senem, adolescens* apte opposita, et velut in quamdam antitheseos formam magis comparata videntur, quam ut certum annorum numerum significent.

Locupletem testem Tacitum non negaverim, et hoc in primis notandum esse, quod in materia tam proprie ad se et suam gentem pertinente Apri verba silentio probare Vipstanus Messala videatur. Itaque non hoc nobis propositum est, ut illius testimonii pondus minuere conemur, sed ut Wiesium demonstremus hæc Taciti verba falsum in usum vertisse. Primo quidem, ut jam diximus, quoniam omnis Eusebio detracta fides est, quod spatium vitæ Messalæ fuerit nihil jam nos docet. Quapropter, etiamsi mortis de tempore certior factus sis, non ideo natalem annum cognoveris. Quinetiam ausim contendere, de mortis tempore nihil certius hæc Taciti verba afferre. Quid scripserit enim Tacitus intueamur. « Corvinus *in*

medium usque Augusti principatum, Asinius pæne *ad* extremum duravit ». Inter hæc vocabula *ad*, *in*, quibus usus est, multum interesse credimus. Non anno Augusti principatus medio obiisse Messalam, sed illius partis, quæ principatus media habetur, usque ad finem prope pervenisse Messalam Tacitus significavit. *In medium* idem fere significare existimo, quod *per medium*, longe alio sensu, quam si Tacitus *ad medium* dixisset.

Sed et alia argumenta sunt. Quemadmodum, quod ad Messalæ mortem attinet, certior Eusebio testis Ovidius visus est, qui eodem tempore vixerat, sic, in natali anno inquirendo, æqualium virorum testimonia ceteris anteponamus.

Sub extremum vitæ tempus Cicero ad Atticum suum de filio scribit, tum Athenis studente, et ampliorem pecuniam in sumptus suos, ut mos est juvenilis, efflagitante (*Epist. ad Attic.*, XII, 32). Pater filium monet ut satis habeat ea quæ illi suppeditata sint, et addit « præstare se nec Messalam, nec alios, quos Athenis futuros audiat, majores sumptus facturos ». Tunc annum fere vicesimum M. Cicero agebat, nec multo natu majorem fuisse Messalam verisimile est, quem inter filii condiscipulos et

sodales Cicero videtur adnumerare. Quinimo quo tempore Romana libertas se ad extremum certamen accingeret peritura, et patria strenua boni cujusque civis opera indigeret, a vero abhorret Messalam, si virilis ætatis fuisset, Athenis otiose tum studuisse, nedum in foro aut in castris libertati auxiliaretur. Vero propius accedemus si eamdem fere Messalæ et M. Ciceronis ætatem fuisse judicamus, quoniam uno post Actiacum bellum anno (quod bellum, ut narravimus, Messala consule gestum est), M. Cicero consulatum inierit.

Quibus de causis adducimur ut quinque circiter annis ante hoc tempus quod Eusebius retulit, non anno 680/74, ut Wiesius contendit, sed circa annum 690/64 natum esse Messalam concludamus. Ille enim, quum apud Philippos dimicavit, tertium et vicesimum annum agens, fulgentissimus juvenis a Velleio Paterculo jure dictus est.

APPENDIX II

Non me fugit sæpe hujus Panegyrici vocatam in dubium fuisse originem. Inter eos, qui carmen a Tibullo conditum negaverunt, HEYNIUM (quarta editio cum Wunderlichii notis, Lipsiæ, 1817), BACHIUM (*Epistola critica in Tibullum, Pseudo-Tibullum et Propertium*, Gothæ, 1812), WEICHERTUM (*Poetarum Latinorum reliquiæ*), PALDAMUM (*Erotici Romani*, 1833), WIESIUM (*de Messalæ vita et studiis*), DISSENUM (Gottingæ, 1835, *Catulli, Tibulli, Propertii carmina*), HERTZBERGIUM (*Hallische Jahrbucher*, 1839), GOLBERIUM (Paris, 1826), HAUPTIUM (ed. Lipsiæ, 1853), præcipuos nominabo; contra stant J. H. VOSSIUS (Heidelberg, 1811), O. F. GRUPPIUS (*die Römische Elegie*, Leipzig, 1838), W. S. TEUFELIUS (*Studien und Charakteristiken*, Leipzig, 1871, *Geschichte der Römischen Litteratur*), denique HANKELIUS, qui omnes de alia hujus carminis origine

conjecturas recte, ut opinor, refutavit (*De Panegyrico in Messalam Tibulliano*, Lipsiæ, 1874).

Cur tot doctissimis viris Panegyricus in suspicionem venerit, hæ fere causæ sunt : ipsius operis jejunitas et exilitas, pæne servilis modestia et nimia adulatio, fabularum altius repetitarum copia, vitia nonnulla orationis ; adde quamdam cum versibus Ovidii similitudinem, et incredibilem illam laudem Valgii cum Homero prope adæquati.

Quapropter alii natum inter subsellia rhetorum et exercitationis causa compositum carmen crediderunt ; alii eumdem et hujus operis, et Panegyrici in Calpurnium Pisonem, qui Lucano vulgo adscribitur, auctorem fuisse conjecerunt ; alii denique, quum vere anno 723/31 scriptum carmen concederent, ignoto cuipiam poetæ, quam Tibullo, assignare maluerunt.

Ex istis autem argumentis multa verti in contrarium possunt. Uter enim, Ovidiusne an auctor Panegyrici, utrum sit imitatus (Pan. 161. Ovid. *Metam.* III 104. — *Pan.* 125. Ovid. *Am.* III. 6, 95. — *Pan.* 203. Ovid. *Art. am.* I, 290) nihil docet.

Valgius inter eos, qui cum Homero possint

æmulari relatus (v. 180), quid probat, nisi carmen antea scriptum fuisse quam Virgilius epicis carminibus inclaruisset? In quem errorem profecto non incidisset quilibet vel indoctus et ineptus posterioris ætatis declamator.

Mythologiæ usus a Tibulli consuetudine adeo non abhorret, ut in quibusdam elegiis, primi libri septima præcipue, et secundi quinta, similis fabularum inveniatur copia.

Operis vero jejunitatis causa est adolescentia, quum vix eo tempore poeta e rhetorum scholis esset egressus. Nimiam quidem modestiam, sed minime servilem fatemur. Quæ fuerit illis temporibus poetarum conditio et erga principes in civitate viros adulatio quum meminerimus, nihil mirum videbitur si pauper, ignotus Tibullus, summi viri patrocinium requirens, humilioribus fortasse verbis utitur.

Hæc fere ab iis disputantur qui Tibulli revera Panegyricum esse contendunt. Quædam nova ex dicendi et versificandi ratione, præcipue quod ad usum particulæ conjunctivæ *et* pertinet, et cæsuræ in versibus institutæ conditionem, HANKELIUS expressit.

Quæ argumenta, quanquam satis per se speciosa, certam tamen fidem non afferre fateor. Quæ autem in istius modi disputatione certa

fides possit afferri? Unum subjiciam : carmen illud a Tibullo revera scriptum demonstrare non tam nostrum est, quam levia, quibus falsum dicitur, argumenta refutare.

Etenim causa dubitandi, eaque gravissima, tunc exstabat, quæ hodie nulla est. Tertius elegiarum liber, in quo noti illi versus leguntur (III. 5 v. 17) :

> Natalem primo nostrum videre parentes,
> Quum cecidit fato consul uterque pari,

donec Tibullo tributus est, de Panegyrici, quem poeta vix duodecimum annum natus scripsisset, origine docti viri dubitabant. Nunc quum in eo consentiant, ut tertium librum Tibullo detrahant, ei saltem Panegyricum restituant necesse est.

APPENDIX III

Hujus epistolarum libri fidem ex quo TUNSTALLIUS (1741) et MARKLANDIUS (1745) anglici in dubium vocaverunt, quanta inter eruditos orta sit dissensio neminem fugit. Apud Germanos præcipue WYTTENBACHIUS (*Bibliot. Crit.; Vita Ruhnkenii*) et ZUMPTIUS (*de M. T. Ciceronis ad M. Brutum et Bruti ad Ciceronem epistolis,* Berolini, 1845), ut multos alios omittam, falsas epistolas, et in rhetorum scholis exercitationis causa compositas magna vi contenderunt. SCHUTZIUS, ORELLIUS, inter falsa Ciceronis opera locum eis assignare non dubitaverunt. Sed ex altera parte vir inter doctos eminentissimus, C. FRED. HERMANNIUS, hujus libri defensionem feliciter, ut opinor, suscepit : (*Vindiciæ latinitatis epistolarum Ciceronis ad M. Brutum*, Göttingæ, 1844).

Apud nos summi viri similiter dissentiunt. G. HAVET (*Revue des Cours Littéraires*, t. VIII, 1870, p. 314-324), Tunstallii opinionem sequitur. Sed J. V. LECLERC, uno loco, quem infra indicabimus, excepto (*Ciceron. Op.*, t. XXV, p. 240), omnes has epistolas pro veris habere non dubitavit. Item G. BOISSIER, quum de hac quæstione lucide et eleganter, ut mos est, disputaret (*Recherches sur la manière dont furent recueillies et publiées les lettres de Cicéron*, Paris, 1863), Tunstallii et cæterorum conjecturas refutavit.

In hoc præcipue controversia nitebatur, quod Cicero aliter in orationibus publice habitis, aliter (quid mirum?) in familiari epistola de rebus hominibusque loqueretur, aut in quædam orationis vitia incidisset, quæ primum ambigitur utrum satis apte æstimare possimus; et, si vere pro vitiis habenda sunt, utrum Cicero ipse an scriptor librarius in culpa sit. Quod ad historiam pertinet, dicitur hic liber pauca nos docere, quæ e reliquis Ciceronis operibus jam non didicerimus, quasi ad has epistolas in scholis componendas Ciceronis ipsius orationibus, præcipue Philippicis, usi fuissent rhetores.

Hæc igitur, ut leviora argumenta omittam,

tota fere erat controversia. Illius libri epistolas, nulla excepta, hi respuebant, illi accipiebant. Pauci cautiores, inter utramque opinionem medii, vera falsis mixta fatebantur.

Illis vero, qui libri fidem in dubium non vocant, novum maximi ponderis argumentum aheneæ tabulæ nuper apud Osunam repertæ attulerunt; quod vir doctissimus CH. GIRAUD (*Journal des Savants*. Février 1877), illustravit.

Legem Juliam fuisse *de sacerdotiis* quinta ad Brutum epistola testatur (I. 5). « Ciceronem nostrum in vestrum collegium cooptari volo. Existimo omnino, absentium rationem sacerdotum comitiis posse haberi : nam etiam factum est antea. C. enim Marius, quum in Cappadocia esset, lege Domitia factus est augur; nec, quo minus id postea liceret, ulla lex sanxit. Est etiam in lege Julia, quæ lex est de sacerdotiis proxima, his verbis : *Qui petit, cujusve ratio habebitur;* aperte indicat posse rationem haberi etiam non præsentis. Hac de re scripsi ad eum, ut tuo judicio uteretur, etc. » Illius vero legis quum altera mentio nusquam apud scriptores Latinos esset inventa, rem quæ hoc uno argumento probaretur multi veram esse negaverant.

Nunc Osunenses tabulæ legem illam de sacerdotiis, quam anno circiter 709/45 C. Cæsar dictator tulisset, etiam in coloniis valuisse indicio sunt. Nam ea de sacerdotibus eligendis comitia, quæ Romæ a consulibus haberi lex Julia jusserat, in coloniis duoviri habebant, consulum ad exemplar instituti. (CH. GIRAUD, p. 126).

Hanc igitur ad Brutum quintam epistolam, in qua Juliæ legis verba ipsa tam certe, tam diserte relata sunt, a scholastico declamatore exercitationis causa compositam quis nunc est qui contendat?

Sed hæc in universum et de duobus epistolarum libris disputantur. Eam tantum epistolam intueamur, qnæ ad nos proprie pertinet, prioris libri quindecimam.

Leve admodum et, ut ita dicam, puerile argumentum ex eo MARKLANDIUS deprompsit, quod Cicero qui in libro *de Legibus* II, 11, scripserat : *Thales qui sapientissimus inter septem fuit*, secum ipse repugnaret, nunc ad Brutum scribens de Solone : « *qui sapientissimus fuit ex septem.* » (J. V. LECLERC, p. 248).

Aliis si credimus, ex Appiani loco (IV, 38), quem jam retulimus, patet, non quintili mense,

sed novembri, scilicet eo demum tempore, quo a triumviris fuisset proscriptus, Messalam ad Brutum venisse. Hoc autem argumentum Hermannius apte refutavit. Nam verba quibus Appianus utitur, ἐς Βροῦτον ἔφυγε, nihil certi indicant, ut fatetur vir eruditissimus HAVET (p. 316 : Mais il est aisé de s'assurer que cela ne résulte pas des paroles d'Appien). — Præterea quum ex epistola ad Atticum XV, 17, constet jam anno superiore e Bruti castris Messalam in Italiam venisse, et Ciceronem vidisse, quid causæ sit cur non suspicemur eum iterum, sive a Bruto jussum, sive sponte sua, in Italiam rediisse, unde proscriptus feliciter evasit?

Multi denique contenderunt, et J. V. Leclerc, qui tamen epistolarum omnium auctoritatem pertinaciter defendit, ipse confessus est, in hoc epistolæ procemio, quo Messala Bruto commendatur, et summis laudibus afficitur a Cicerone, nimium aliquid et indecorum inesse.

Sed illam semper fuisse Ciceronis indolem, ut nimiis laudibus eos quos diligeret aut quibus blandiretur, extolleret, quem fugit? Imberbum adolescentem ea laudatione prorsus indignum videri fateor. Sed eximiæ spei juvenis, jam tertium et vicessimum annum ætatis agens, quem

Velleius tunc fuisse *fulgentissimum* dixit, is erat, ut opinor, qui a Cicerone jure ac merito laudaretur.

Num igitur opus est ut, sicut viri doctissimi G. HAVET, (p. 329) et J. V. LECLERC (p. 249), crediderunt, priorem ejus epistolæ quindecimæ partem, quæ ad nos sola pertinet, a Cicerone ipso non profectam arbitremur, et nescio quem rhetorem fingamus, qui Messalæ amicus et cliens, blandiendi causa veræ epistolæ, in qua profecto Messalæ nomen occurrebat, falsam hanc laudationem addidisset?

Sed hoc etiam ausim contendere. Epistolam illam quindecimam non ideo in testimonium vocamus, ut Messalæ laudemus eloquentiam, de qua probanda Latini scriptores omnes consentiunt. Quod dicendi genus eo tempore secutus sit, quærimus. Itaque hæc verba « *in verissimo genere dicendi* » quæ prope sola nobis prosunt, utrum a Cicerone ipso scripta sint an ab ignotis Messalæ amicis Ciceroni tributa, haud multum interest. Nam ea verba, utcumque res se habuerit, nos saltem docent, quod eloquentiæ exemplar sibi Messala proposuerit, quem ante oculos oratorem habuerit.

Uno verbo, vel qui aliter ac nos de hujus

testimonii origine existimabunt, ipso saltem testimonio nos uti posse fatebuntur.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisior. in Sorbona.
XVI Kal. Jun., ann. MDCCCLXXVIII.
Facultatis Litterarum in Acad.
Paris. decanus,

H. WALLON.

Typis mandetur,
Academiæ Parisiensis rector.

A. MOURIER.

INDEX

PROŒMIUM 5
CAPUT I. — Messalæ genus, adolescentia, studia Athenis; proscriptus in castra Bruti Cassiique confugit, apud Philippos pugnat..... 9
— II. — Post Philippensem cladem Messala primum Antonium, dein Cæsarem sequitur, et in Sicilia adversus S. Pompeium, tum adversus Salassos et Japydes militat. Anno 723/31 consul factus Actiaco bello interest..... 26
— III. — Messalæ iter in Syriam et Ægyptum, bellum Aquitanicum, triumphus, curatio viæ Latinæ, præfectura urbana, vitæ publicæ finis 41
— IV. — De Messalæ scriptis et studio eloquentiæ. 60
— V. — Messalæ studia poetica..... 82
EPILOGUS 100
APPENDIX I 103
— II 112
— III 116

VERSALIIS.— EX TYPIS CERF ET FILII, VIA DICTA DU PLESSIS, 59.



MAR 29 1905

DUE JAN 15 1924

Return Mar. 17, '25

Inter lib loan 4/14/32

DUE JUL 23 '47

JUN 10 '57 H

Lm 32.20
De M. Valerio Messala Corvino.
Widener Library 005478417
3 2044 085 211 852